




Explicatio Epistolae Pauli Apostoli ad Philippenses.

<https://hdl.handle.net/1874/428472>

EXPLI
CATIO EPISTO-
LAE PAULI APOSTO-
li ad Philipenses.

A VTORE IOAN-
ne Brentio.

FRANCOFORTI EX
Officina Petri Bruba
chij, Anno M. D.
XLVIII.



EXPL

1840

1841

1842

1843

1844

1845

1846

1847

1848

1849

1850

1851

1852

1853

1854

1855

1856

1857

1858

MICHAEL

GRETTERVS PASTOR

ECCLESIAE, QVAE EST HA-
la Sueuorum, ad diuam Cathari-
nam, Pio Lectori S. D.



VM nonnulla in Epi-
stolam Pauli ad Philip-
penses, è chartis D. Ioã-
nis Brentij, præcepto-
ris et affinis mei amicis-
simi, meo more, & in meum solius u-
sum, literis breuiter notasse, cōten-
derunt à me amici quidam, piæ doctri-
næ studiosi, multis uerbis, ut exemplū
ipsis utendum & describendum cre-
derem. Quod officium, ut non debuī
amicis tam pia petentibus recusare,
ita non potui singulis pro mea uolun-
tate, & ipsorum opportunitate præ-
stare. Vñsum igitur est ea sic notata, ty-
pis uulganda dare, ut cui libet ijs uti,
facile ac nullo plane negotio liceat.

EPISTOLA.

Sed quia hoc non erat sine auctoris cō
sensu suscipiendum, exposui ei meum
institutum. Ille uero aduersari, & re-
clamare, ac nescio quē, causari, tenuio-
ra hæc esse, quàm quæ Ecclesiæ Chri-
sti obtrudi debeant, & extare antea,
inter recentiora scripta, eruditos &
pios Optimi uiri D. Christophori
Hoffmanni in hanc Pauli Epistolam
commentarios. Ego autem contra in-
stans impetraui tandē, ut per ipsum
liceret mihi in hac re, quod uellem, fa-
cere. Quare, quod institui, pergo etiā
prompto animo exequi, & spero me
studiosis piæ doctrinæ nec ingratam,
nec inutilem operam nauare. Filius i-
psæ Dei tribuit Paulo hoc cognomē,
σκευ & ἐκ λογῆς, hoc est, uasculum ele-
ctum, quo gestetur & circumferatur
nomen eius ad gentes & reges. Hoc
autem uasculum tanto thesauro im-
pletum, certius cognoscendum, & pe-
nitius introspicendum, remoto oper-
culo, proponere, id quod sit pñs expli-
cationi-

cationibus, nullum ne est operæ præ-
cium. Rectè & præclarè mihi de scri-
ptis Pauli diuus Hieronymus iudica-
re uidet. Quotiescunq; inquit, Pau-
lū lego, uideor mihi nō uerba audire,
sed tonitrua. Et, Quocunq; respexe-
ris, fulmina sunt. Sed cū nōnulli seu
arctius & grauius stertunt, seu hebe-
tiores habent sensus, quā ut hæc to-
nitrua & fulmina percipiāt, non erit,
puto, superuacaneus labor, si quis
qualicunq; interpretationis suæ ope-
ra enitatur, ut illis ueternum excuti-
at, & eos ad attentionem excitet. Nō
ignoro, ad mouendos hominum ani-
mos, ipsa cœlestia Pauli uerba, effica-
ciora per spiritum sanctum esse, qua-
uis alia humana uoce, Sed ut Paulū,
uel cessatores audiant, uel tardiores
rectè intelligant, nostrum certe studi-
um conferendum est. Et, ut de hac ad
Philippenses Epistola dicam, etsi nul-
la hīc instituta est integra disputatio,
qualis est in Epistola ad Romanos &

EPISTOLA.

ad Galatas, tamen continet res tam
 obseruabiles, & sententias tam insig-
 nes, ut qui nos de his admonet, & eas
 nobis diligētius intuendas proponit,
 magno fauore, tanquā cœlestis the-
 sauri index, merito sit complectēdus.
 Scripsit eam Paulus cum Romæ, iam
 inde ab initio Martyrum officinæ, in
 uinculis esset, & uersaretur in extre-
 mo capitis sui discrimine, eo nimirum
 tempore, quo natura hominis metu
 mortis occupata, nihil nisi exitia & in-
 ternecciones meditari solet. Quæso au-
 tem te, uide mihi, quā suauis, quā
 iucundas, quā planè cœlestes ha-
 beat in tantis periculis cogitationes.
 Nunc mortem uocat lucrum suum:
 nunc cupit dissolui & esse cum Chri-
 sto: nūc ingenti gaudio exultat, quod
 immoletur, super hostia, ut ipse loqui-
 tur, & sacrificio fidei Ecclesiæ: nunc
 obliuiscitur ea, quæ sunt à tergo, &
 contendit rectā ad scopum, ut accipi-
 at *ἡ ἀμοιβή* supernæ uocationis: nunc ia-
 cet

stat πρίτμα nostrum in cœlis: nūc
expectat aduenientem seruatore[m] le-
sum Christum, & reddentem humile
ipsius corpus conforme corpori suo
glorioso. Deniq; tanta læticia gessit,
ut iam nō amplius uinculis teneri, sed
cœlum ipsum, ab omni cœlesti ange-
lorum, Patriarcharum & Propheta-
rum cœtu obuijs ulnis excipiendus,
adire uideatur. Quid ergo? dicemus
ne Paulum fortio[re]m fuisse filio Dei,
qui ad conspectum mortis tanto me-
tu contremuit, ut sudor eius factus sit
sanguineus? Sed nisi filius Dei assump-
psisset in se humanas imbecillitates,
& uicisset mortem, Paulus non potu-
isset tanta animi celsitudine mortem
aspicere. Quod igitur fecit, nō est car-
nis natura, sed uirtus Christi. Omnia,
inquit, possum per Christum, qui me
corroborat. Et iterum: Viuo non iam
ego, sed uiuit in me Christus. De tan-
tis rebus Lectorem in percurrendo
Paulo admonere, si non magnæ est

EPISTOLA.

industriæ, certe p̃ij est officiũ. Iam & illud in hac Epistola insigne est, quod de Philippensibus dicit: Vobis donatum est, pro Christo, non solum ut in eum credatis, uerum etiam, ut pro illo patiamini. Donum Dei uocat, propter Christum, & confessionem Evangelij eius affligi. Quod si diligenter cogitetur, fieri nō potest, quin maximũ omnibus p̃ijs, hoc tristissimo Ecclesie tempore, solatiũ afferat. Quid, quod cũ suscipit Philippenses cohortandos, ut habeant eundem affectum, qui fuit in Christo, paucis quidẽ, sed tam proprijs, tam disertis uerbis & humilitatem & maiestatem Christi describit, uix ut aliàs magis perspicuè literis adumbrata extent. Quanti præterea precij hoc κερμὴ λιβον est, quod cũ præstantissimam operum suorum iusticiam commemorasset, addit: Omnia arbitror damnum esse propter excellentiam cognitionis Christi Iesu Domini mei, propter quẽ omnia pro damnis duxi,

EPISTOLA.

duxi, & iudico esse σκόβαλα, hoc est,
 rudera seu stercora, ut Christum lu-
 crificiam, utq; reperiar in ipso, nō ha-
 bens meam iusticiam, quę est ex lege,
 sed eam, quę est per fidem Christi, &
 quę est ex Deo in fide. Hoc Pauli di-
 ctum, non dico, pluribus explicare,
 sed tantum his uerbis in medium pro-
 ducere, an non est uniuersam non so-
 lum Iudæorum, & Turcarum, uerū
 etiam Monachorum & Sophistarum
 impietatem perspicuē refutare? Sed
 quid facio? Singulę periodi Pauli, sin-
 gula sunt oracula, etiamsi aliquoties
 de minutissimis tantum rebus loqui
 uideantur. Horum usum, cum hęc ex-
 plicationes indicent, non est, mea qui-
 dem sententia, cur fastidiantur. Hoc
 uolui, amicissime Lector, præfari, ut
 intelligas me honesto consilio, & pio
 studio has Brentij explicationes in lu-
 cem dedisse. Oro autem Deum Pa-
 trem Domini nostri Iesu Christi, ut
 conseruet spiritu sancto suo in Eccle-

EPISTOLA.

Qua ueram & rectam doctrinam Euan-
gelij sui, & renouet ac inflammet
mentes nostras, ut hanc doctrinam
honestis moribus & pijs exemplis or-
nemus, ac eam confirmato animo ad-
uersus inferi etiam portas profitea-
mur. Bene ac foeliciter uale, ex

Hala Sueuorum die xxv. Fe

bruarij, Anno M. D.

XXXXVIII.

MPD

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΟΝ.



EC ineptū, nec inutile uidetur, ut post interpretationē Epistolæ Pauli ad Galatas, suscipiamus interpretandam Epistolam ad Philippenses. Paulus enim ad Galatas scribens, unum tantum argumentum principaliter tractat, uidelicet, quòd sola fide propter Iesum Christum iusti coram Deo reputemur, & reprehendit eos, qui ab hac doctrina defecerunt. Ad Philippenses autem scribens, uaria argumenta attingit, ut solet in familiaribus Epistolis fieri, & laudat Philippenses, quòd in uera doctrina Euangelij constiterant. Itaq; in Galatis reprehenduntur defectores, & admonentur ut resipiscant. In Philippensibus cōmendantur constantes, & admonētur, ut pergant, ac perseuerent. Sicut enim defectores & peccatores resipiscere de-

ARGVMENTVM.

Philippi
urbs Macedonice.

bent, ita pñ in iustitia, fide constantes,
pergere debent. Dicemus ergo pri-
mum de Philippensibus. De his mul-
ta scribit Lucas in Actis xvi. Philippi
autē fuit urbs Macedonia, sita in pri-
ma eius parte. Hanc urbē scribit Dio-
dorus quondam κρηνιάδας dictam, sed
regem Philippū cognominasse eam
ciuibus auctam, à suo nomine Philip-
pos. Verba Diodori sunt: Μετὰ δὲ ταύ-
τα πῦρ λθὼν ὑπὸ πόλιν κρηνιάδας, ταυτὴν
μὲν ἐπαυξήσας οἰκιστῶρων πλῆθος μετωνόμα-
σε Φιλίππου, ἀφ' ἧς αὐτὴ πρὸς αὐτὸν ᾤοντο. Nō
est autem nostri instituti omnia de ea
urbe referre hoc loco, quæ scriptores
tradiderunt, sed tantum commemo-
rabimus ea, quæ faciunt ad nostrum
propositum. Quare primum uidea-
mus quomodo Euangelij prædicatio
peruenerit ad Philippenses. Nam Pau-
lus profectus ad Troadē uidit talem
uisionem. Vir Macedo stetit et depre-
catus est eum dicēs: Profectus in Ma-
cedoniam succurre nobis. Hæc fuit di-
uina

EPISTOLAE.

uina uocatio. Nam qui apparuit Paulo, fuit angelus, cuius curæ commenda fuit Macedonia. Duo hîc docemur. Alterum, quòd angeli curent regna hominum, alioqui Satan cōtinuo omnia turbaret, nec fieri posset, ut Euangelij prædicatio uel ad regna perueniret, uel in regnis diu duraret. Alterum, quòd etsi angeli optimè sciunt Euangelion, tamen Christus Dominus noster instituit externum ministerium prædicandi Euāgelij per homines peragendum. Ideoq; uoluit angelus non ipse concionari Macedoniae Euangelion, sed uocauit Paulum. Nō igitur expectādi sunt angeli de cœlo, qui nobis adnuncient Euāgelion, sed audiendi sunt homines ad hoc uocati & Apostolicam doctrinam afferētes. Deinde uidendum est quātis miraculis Euangelij prædicatio confirmata sit in Philippis. Nam in hac ciuitate curata est puella Pythonissa. Adhæc, postquā Paulus & Syllas illic capti

Angeli custodes regnorum.

Ministerium Verbi hominibus non angelis commē datum.

A R G V M E N T V M

fuerunt, carcer noctu sua sponte patuit ex subito terræ motu. Accedit & hoc miraculū, quòd custos carceris, qui erat seipsum interfecturus, statim factus est Christianus. Domini, inquiens, quid oportet me facere, ut saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Memorabile dictum, quòd comprobāt, quòd iustificemur corā Deo fide sola propter Iesum Christū. Est & hoc inter miracula cēsendum, quòd magistratus Philippensium ita mutat, ut Paulo & Sylæ, quos antea in uincula coniecerat, supplex fiat, & non clam interficiat eos, quod fortassis alijs in tali casu contigisset, sed dimittat eos, etiam precibus oneratos, liberos. Sic Deus mirabiliter tuet ministros suos. His & multis alijs miraculis confirmata fuit prædicatio Euāgelij apud Philippenses. Quod cum ita se habet, dicemus nunc de Epistola. Paulus enim Apostolus erat, & nō licuit

EPISTOLAE

licuit ei in uno loco habitare. Cùm igitur nō potuerit auditoribus suis semper uoce uiua Euangelion adnunciare, fecit id aliquoties absens scriptis, & misit eis conciones mandatas literis, quas nos uocamus Epistolas. Sic & Philippensibus misit hanc scriptam concionem, quam interpretandam suscepimus. Constat autem uarijs argumentis. Nunc enim Paulus agit gratias, nunc orat, nunc monet, nunc laudat, nunc consolatur eos. Tria autem præcipuè agit. Vnum est, quòd docet afflictiones piorū cedere eis in bonum. Hæc doctrina est necessaria in Ecclesia, quia necessarium est ut obediamus Deo in sufferēda manu eius, Ad quam obedientiam excitamur cōsyderatione utilitatis afflictionum. Alterum est, quòd hortatur ad concordiam, ne quid faciant per contentionem. Est & hæc doctrina necessaria. Tertium est, docet cauendos esse impios doctores circumcisionis seu meri

ARGVMENTVM.

torum humanorum, et sectandam esse solam illam doctrinam, quæ est de iusticia fidei in Christo. Hoc argumentum cõuenit cum eo, quod est tractatum in Galatis. Scripsit autem Paulus hanc Epistolam è Roma, in qua erat uinctus propter Euangelion Christi. Hic consydera mihi pietatem Pauli. Surget enim in iudicio aduersus omnes reges, principes & magistratus; quod ipsi in summis delicijs nullam habeant rationem Ecclesiæ, Paulus autem habuerit maximam Ecclesiæ suarum curam, etiã in uinculis. Non tantopere curæ ei fuit, quomodo ipse liber fiat, quàm quomodo Ecclesiæ salus cõseruetur. Hoc autem tempore, quod dictu quoq; miserabile est, hæ regiones, in quibus Paulus prædicauit Euangelion Christi, agnoscunt impietatem Mahumeticam, & seruiunt Turcicæ tyrānidī. Quod primum deberet excitare principes orbis Christiani ad recuperandas amissas regiones,

nēs, ut prædicatio Euangelij publicè ibi restitueret. Deinde debet nos excitare ad timorem Dei. Nam his regionibus, quibus Paulus prædicauit Euangelion Dei, Deus non percutit, quòd doctrinā Pauli non conseruauerint ea pietate, qua initio maiores eorum acceperunt, multo minus parcat nostris regionibus, nisi studeamus Euangelio Christi diligentius obedire.

CAPVT I.



PAVLVS ET TIMOTHEVS.

Paulus cùm sit autor huius Epistolæ, adiungit tamen sibi Timotheum in inscriptione. Cuius rei una causa est, quòd Timotheus optimè notus erat Philippensibus, & cum Pau

B

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

lo prædicauerat ibi Euangelion, quæ
admodum apparet ex Actis ca. xvi.
quo in loco habes, qua occasiõe Pau-
lus Timotheum secum asumpserit,
& ad Ecclesias instituendas circum-
duxerit. Altera causa est, cura Pauli
pro Ecclesijs. Timotheus enim cum
Paulo collatus, erat iuuenis, sed ad
erudiendam Ecclesiam utilis & ido-
neus. Cùm igitur non licuerit Paulo
semper & perpetuo cū Ecclesijs per-
manere, ac uideret se iam senectute
cōfici, uoluit Timotheum secum cir-
cumducere, & collegam habere, ut
eum sana doctrina Euangelij educa-
tum, relinqueret post se utilē pasto-
rem Ecclesijs, & consuleret posteri-
tati. Hoc est exemplum, quo mone-
mur, ut unusquisq; nostrū, non tã-
tum pro se curet, sed etiã pro poste-
ritate, non ut posteritas magnas &
multas habeat diuitias, & late domi-
netur, Sed ut sit Ecclesia Christi a-
pud posteros. Magistratus igitur sit
scipiat

*Posteritas cu-
ras nobis sit.*

scipiat curam scholarum & literarum, quibus Christiana doctrina percipiatur. Priuati autem homines hoc agant, ut & ipsi liberos suos ad utilitatem futuræ Ecclesiæ educant. Etsi enim non possunt omnes pueri ad discendas literas tradi, & in discendis literis pergere, omnes tamen possunt & debent erudiri in doctrina Christianæ religionis. Parentes enim cogitare debent, quod pueris maximè omnium necessaria sit doctrina religionis, quippe quod per pueros propaget Ecclesia ad posterum. Mortuis enim parentibus succedunt liberi ad cōiugia, ex quibus deinde alij nascuntur liberi, qui & ipsi erudiri debent in doctrina pietatis. Quod si illi priores nihil sani didicerint à suis parentibus, quid ipsi docerent suos posteros? Et præsertim hoc tempore, necessaria est hæc cura parentum, cum tanta sit dissensio in religione, & immineant

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

etiã ceruicibus nostris Turca & impij Pontifices, Ad quod & hoc accedit, quòd tam pauci dent operam facris literis, ut Ecclesia paulopost uix habitura uideat idoneos ministros. Quare necessarium est, ut parentes suscipiant diligentem liberorum suorum curam, ad erudiendum eos in doctrina religionis.

SERVI IESV CHRISTI.

Hoc epitheton, quòd Paulus uocat se & Timotheum seruos Christi, non est Paulo uel in ore, uel in calamo natum, sed est sapientissimo consilio assumptum. Vult enim hoc epitheto totam Ecclesiam Philippensem unã cum Episcopis & Diaconis eorum, imo uniuersam Ecclesiam Christi, in toto orbe terrarum admonere, quanta diligentia & sollicitudine sectanda sit uocatio Christi & doctrina Euangelij eius. Aliud enim est minister. Aliud seruum esse. Minister proprie dicitur, quia ad tempus seruit,

uit, nec in omnibus, sed in aliquo certo officij genere, quales sunt officiales principum. *Servus.* Servus autem propriè dicitur, Corpore addictus, quorum ea fuit quondam conditio, ut quicquid acquirerent, dominorum esset, & domini haberent in eos potestatem uitæ & necis. Atq; adeo serui quondam necesse habuerunt totipendere è potestate & uoluntate dominorum suorum, ac ne latum quidem unguem à domino discedere, si ne iussu & permissu domini. Tales serui Christi fuerunt Paulus & Timotheus. Tales serui Christi debent esse omnes Christiani. Nam in omnibus actionibus, in ocio & negotio hoc unum curandum est, ut obsequamur uoluntati Christi, & in manus Christi respiciamus. Vnde & Paulus ad Romanos scribens, ait: Liberati à peccato, serui facti estis iusticiæ, & quemadmodum præbuissemus membra uestra serua, &c. Hic autem con

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

sydera mihi peruersissima hominum
instituta. Paucissimi cogitant, quod
sint & debeant esse serui Christi, sed
alius aliam seruitutem suscipit, cui to-
tum se tradit. Nam nonnulli tradunt
se agriculturæ, Et huic ita seruiunt,
ut noctes atque dies nihil aliud cogi-
tent, ac minimam interim curam im-
pendunt ad doctrinam religionis di-
scendam, & ad seruiendum Christo.
Alius tractat opificium, & huic to-
tus ita intentus est, ut multis hebdo-
madis uix cogitet de Christianismo.
Est qui sectatur conuiuia, alius se-
ctatur puellas, & huic rei ita seruit,
ut nec noctu nec interdium quiescat.
Breuiter, suum cuique est studium
cui seruit, cum interea paucissimi co-
gitent se esse seruos Christi. Quid
ergo inquis? Num non seruitur Chri-
sto in agricultura & opificio? Cer-
te potest esse etiam in his seruitus
Christi. Sed nos loquimur nunc de
peruersis hominum institutis. Nam
magna

magna pars hominū colentiū agros, hoc agunt, ut per agriculturam acquirant opes, & parent sibi ocium, ac fiant ociosi ciues & conuiuentur. Hic est præcipuus eorum finis. Itaque sunt serui agriculturæ, non serui Christi. Cū tamen agri colendi essent hoc fine, non tanquā præcipuum negotiū in terris, sed tanquā accessorium, ut in hac uocatione disceremus ueram doctrinam religionis, obediremus uocationi Euangelij, & seruiremus Christo, quo iustificati, possemus uincere mortem, & peruenire ad regnum Dei. Idem sentiendum est de opificio. Opificia enim sunt per se diuinæ ordinationes. Magna autem pars opificum seruit non Christo, sed opificio, quia exercent opificium ad hunc finem, ut parent sibi opes & ocium, quo possint in tranquillitate & conuiuijs uitam suam ducere. Hic aut non est rectus finis. Sed seruitus Christi debet esse

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.
finis noster, uidelicet, ut siue labore-
mus, siue ociamur, siue uigilemus, si-
ue dormiamus, in Christo simus, &
Christo pendeamus, ut cognitione
eius inferamur in mortem ipsius, &
participes fiamus resurrectionis eius.

OMNIBVS SANCTIS, QVI
SVNT PHILIPPIS.)

Sancti hoies. De Philippensibus antea. Sunt au-
tem quædam dicenda de sanctis ho-
minibus, etsi de ea re aliàs sæpe dictū
est. Nam sanctorum nomine non ue-
niunt tantum mortui in Christo, nec
ueniunt Monachi & eremitæ. Sed hi
propriè uerè & perfectè dicuntur san-
cti homines, qui sunt concepti è Spi-
ritu sancto, nec ullum habent pecca-
tum, siue originale siue actuale, sed
habent perfectam iusticiam, & im-
plent legem Dei perfectè. Horum
sanctorum non est nisi VNVS, ui-
delicet, Dominus noster Iesus Chri-
stus. De quo etiam apud Ioannem di-
citur: Nemo ascendit in cœlum, nisi
qui

EXPLICAT. IOAN. BREN. 19

qui descendit, hoc est, Nemo est iustus & sanctus, præter filium hominis, qui est Iesus Christus. Deinde, Sancti dicuntur hi, non qui habent perfectam iusticiam in sua natura, sed qui credunt in unum illum sanctum, qui est Christus, & sunt membra eius per fidem. Hi etsi semper retinēt in hac carne peccatum, nec unquam perfectè satisfaciunt legi Dei, tamen dicuntur sancti propter Christum, in quē credunt. Vnde apud Ioannem dicitur: Sicut Moses exaltauit serpentem, ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Habere autem uitam æternam, est esse sanctum. Hinc uocat Paulus Romanos, Corinthios, Ephesios, Colossenses, sanctos, qui tamen omnes erant adhuc peccatores in carne sua, & nōnulli eorum iuxta carnem quoq; uiuebant. Vocantur autem sancti, propterea quòd crede

*Sanctorum
officium.*

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP:

bant in uerum sanctum Iesum Christum, & participes erant sanctorum sacramentorum Christi. Hæc de nomine Sancti. Nunc uide quod sit officium sanctorum. Num officium eorum est deserere politicas uocationes, & secedere in eremum? Sic de officio Sanctorum iudicauerunt hypocritæ. Primum ergo officium eorum est, ut pugnent cum peccato originis, & compescant affectus eius, ne dominantur in nobis. Hoc autem fit fide, inuocatione nominis Dei, & tractatione uerbi Dei. Deinde officium eorum est, ut unusquisque sectetur politicam suam uocationem ex fide, & obedienter, iuxta uerbum Dei. Hæc est uita sanctorum in hac terra.

VNA CVM EPISCOPIS
ET DIACONIS.)

Scribit Paulus non solum ad uul-
gum Ecclesiæ Philippensium, sed etiam
ad Episcopos & Diaconos eorū.
Cum uero audis nomen Episcopi &
Diaconi,

Diaconi, non sunt tales Episcopi &
 Diaconi imaginandi, quales hoc tem-
 pore esse solent. Nam Episcopi hoc
 tempore hi uocantur, qui emunt pal-
 lium a Romano Pontifice, & domi-
 nantur in Episcopatibus more Prin-
 cipum & Regum huius seculi, nul-
 lam interim aut minimam curam Ec-
 clesiarum habentes, nisi quatenus
 dominium exercendum est. Dia-
 coni autem uocantur, qui consecran-
 tur ab Episcopo suffraganeo, ut ha-
 beant auctoritatem legendi textum
 Euangelij ad missam. Sed in Ecclesia
 apostolica multa alia erat ratio Epi-
 scoporum et Diaconorum. Nam Epi-
 scopi hi dicebantur, qui ab Apostolis
 in unaquavis Ecclesia electi erant, ut
 praesent cōcionibus & distributio-
 nibus sacramentorum. Quos etiam
 presbyteros uocabant, quorum al-
 terum est nomen officij, Episcopus
 enim significat superattendentem;
 alterum nomen ætatis & dignitatis,

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP:

Diaconi. Presbyter enim significat seniore
seu senatorem. Diaconi autem hi vo
cabantur, qui externas facultates Ec
clesiæ tractabant, quemadmodum
docet locus in Actis cap. vi. qui & i
psi concionabantur Euāgelion, quo
ties id opportunitas & necessitas ex
poscebat. Cū igitur Episcopi &
Diaconi, quales sunt in regno ponti
ficio, prorsus recesserint, non solum
à forma, sed etiam à doctrina Apo
stolica, non sunt ipsi amplius ueri E
piscopi & Diaconi Ecclesiæ. Sed cū
persequuntur Euangelion Christi,
uitādi sunt. Cauete, inquit Christus,
à Pseudoprophetis, &c.

GRATIA VOBIS ET PAX.)

Salutatio, qua Paulus solet Episto
las & conciones suas inchoare, &
cōcludere. Hæc salutatio initium est
& finis concionum Pauli. Dices au
tē: Quid mihi cum Pauli gratia? Ne
mo potest mihi gratiam dare, præter
unum solum Deum: Paulus autem
et si

et si sanctus fuit, homo tamen fuit.
Quomodo ergo posset mihi aliquā
gratiam dare? & qua fronte audet si-
bi hanc auctoritatem arrogare, quod
offerat Ecclesiæ gratiam & pacem?
Videamus autem primum quid sit
gratia Dei & pax. Nam gratia Dei
significat fauorem Dei, quo Deus
complectitur credētes suos. Pax au-
tem significat omnem tranquillitatē
& foelicitatē. Paulus ergo offert Ec-
clesiæ gratiam & pacem Dei, non ut
autor, sed ut minister. Vnde addit: A
Deo Patre nostro, & Domino Iesu
Christo. Deus enim pater fauet ho-
minibus, & vult eis dare sempiternā
foelicitatem. Hec sunt cœlestia bona.
Fauet autem Deus hominibus pro-
pter filium suū Iesum Christum, qui
meritus est sua obedientia, ut Deus
omnes eos suo favore cōplectatur,
qui credunt in Christum. Porro, hic
fauor Dei non est nobis inter tot ad-
uersa & mortes manifestus. Nec or-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

ordinauit Deus angelos, q̄ semper manifestis signis appareant, & adnuncient ac reuelent nobis hunc fauorem suum, sicut potuisset efficere uno nutu, ut quouis mane & uesperī descenderet angelus de cœlo uisibiliter, & adnūciaret nobis Dei fauorem. Sed uisum est ei ordinare homines in nūcios fauoris sui. Itaq; primum ordinauit Apostolos & ministros Ecclesię, qui adnunciēt gratiam Dei & pacē; deinde uocauit quoslibet pios priuatim, ut alter alteri adnūciēt gratiam & pacem Dei, id quod fieri solet, cū dicimus: Bonus dies, Bonus uesper. Hæ enim optiones sunt cœlestes nūcij, imo cœlestia oracula, nobis ī hoc proposita, ut ex ipsis capiamus certitudinē diuini erga nos fauoris. Quare nequaquā est dicēdum, quid ad me hic aut iste homo? quomodo posset ipse mihi gratiam diuinam dare? Nam quod ad hanc rem attinet, Deus sic ordinauit, ut homo homini sit ange-

angelus. Qua ex re admoneamur, ut nullum contemnamus, sed omnibus tanquam angelis nostris benefacere studeamus.

GRATIAS AGO DEO
MEO IN OMNI)

Exordium Epistolæ. Constat autem significatione gratiarum actionis, & precationis. Nam Paulus significat se agere Deo gratias pro Philippensibus, quod facti sunt participes Evangelij, & precari, ut hoc Dei beneficium augeatur, & crescat inter ipsos. Hæc est captatio benevolentiae, id quod in exordio fieri solet. Porro manifestum est, scripta Pauli esse oracula spiritus sancti. Quare singula eius uerba, pro singulis thesauris cœlestibus suscipienda sunt. Primum igitur cum ait: Gratias ago, obseruandum est, quod inter cultus & sacra Dei, non obtinet extremum locum, gratiarum actio. Agere enim Deo gratias pro beneficijs

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

*Gratiarum
actio.*

suis, tam necessarius cultus est, quā orare, aut dare eleemosynam, aut honorare parentes. Nam in hoc præcepto: Non accipies in uanum nomen Domini, exigitur etiam ut honoremus, & ueneremur nomen Dei gratiarum actione. Vnde aliās dicit Paulus Ephe. quinto. Gratias agētes semper de omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi. Et i. Thessaloni. v. Semper gaudete, indefinenter orate, In omnibus gratias agite. Deus autem exigit hunc cultum à nobis, non quōd ipse sua causa delectetur humanis laudibus, sed ut per hūc cultum nos ipsi excitemur ad assecrandam nostram salutem, & ad peragēdos ueros ac spirituales Dei cultus. Primum enim, qui agit gratias Deo pro acceptis beneficijs, is admonet se ipsum humilitatis, ne superbiat aduersus Deum, neue aliquid arroget suis uirtutibus. Quid enim habes, quod non accepisti? Nihil autem sibi arrogare,

gare, sed humiliari corā Deo, est gratissimus Dei cultus, & magna Dei gloria. Deinde, quod agit Deo gratias, assuefacit seipsum, ut sit contentus praesentibus Dei beneficijs. Natura enim ita affecti sumus, ut non simus contenti praesentibus, sed semper plura, ac maiora affectemus. Hec est magna ingratitudo erga Deum. Nos enim nondum satis gratiarum egimus pro acceptis beneficijs, nec praesentia meriti sumus. Gratiarum autem actio excitat nos ad animi aequitatē, ut acceptis & praesentibus contenti simus. Haec animi aequitas est magnus cultus Dei. Praeterea, gratiarum actio admonet nos obedientiae erga Deum, ne per inobedientiam ab alie nemus à nobis benefactorem nostrum. Obedientia autem in mandatis Dei, magnus est Dei cultus. Postremo, qui est gratus pro acceptis beneficijs, hic inuitat benefactorem, ut plus largiat. Cupit autem Deus

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

nobis semper benefacere. Quare ut
subinde plura & maiora Dei benefi-
cia accipiamus, semper Deo agende
sunt gratiæ pro acceptis beneficijs.
Additur: DEO MEO. Cur non po-
tius Deo nostro: Nec hoc malè dictū
fuisset, attamen maluit Deo MEO
dicere. Voluit enim significare, eum
esse uerum Deum, quem ipse Evan-
gelio suo prædicaret. Omnes enim
gentes gloriantur de Deo, & habēt
quādam cognitionem Dei, sed pau-
cissimi sunt, qui cognoscunt uerum
Deum. Cicero ait: Nulla gēs est tam
fera, tamq; immāsueta, quæ etsi igno-
rat, qualem Deum habere deceat, ha-
bendum tamen sciat. Vide mihi gen-
tes, quæ hoc tempore in terris sunt,
Iudæi, Turcæ, Christiani, Hi omnes ia-
ctant se scire Deum, & tamen nec lu-
dæi, nec Turcæ agnoscunt uerū De-
um, quia non agnoscūt eum Deum,
qui misit unigenitum filium suum in
hunc mundum. Voluit autem De-
us

Deus uerus
unde cogno-
scendus.

us ab initio orbis suis epithetis cognosci. Ante Abraham dictus est Deus promissor contritoris capitis serpenti. Post Abraham dictus est Deus Abraham, Isaac & Iacob, quod promiserat se ex horum semine daturum Christum. Postea dictus est Deus, qui eduxit Israël ex Aegypto. Nunc cum uenit Christus, dicit, qui misit unigenitum filium suum seruatorem in terram. Qui ergo hoc tempore non credit in eum Deum, qui misit unigenitum suum filium, is non credit in uerum Deum. Sicut tempore Patriarcharum, qui non credebant in Deum Abraham, Isaac & Iacob, non credebant in uerum Deum. Quare unigenitus filius Dei, & prædicatio Pauli cognoscenda sunt, ut uerum Deum cognoscamus. Præterea, cum Paulus dicit, DEO ME O, significat, quanta fiducia uero Deo adhæreat. Sunt enim, qui sentiunt, Deum misericordem quidem

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

esse per Christū sanctis hominibus, nescio quibus, non autem sentiunt Deum ipsis esse misericordem. Necesse autem est, ut unusquisque credat, Deum etiam suum ipsius Deum esse, id quod fit, si credamus in Christum, quod solus ipse sit propitiatio nostra.

IN OMNI MEMORIA VESTRI SEMPER IN PRECATIONE, &c.

Meminit Paulus Philippenſium in orationibus suis, & precatur pro omnibus. Quo exemplo docet nos, quid nobis inuicem debeamus in hac terra. Non est hīc sermo de sanctis in Domino quiescentibus, de quibus nunc non est dicendi locus, sed de sanctis in terra. Hi debent sibi inuicem hoc officium, ut pro se mutuo orent. Solent autem homines dupliciter contra hoc officium peccare. Primum neglectu proximi. Dicunt enim sicut Cain: Nunquid custos fratris

tris mei sum ego? Hęc est impia uox; unusquisq; enim nostrum debet esse alterius custos, uidelicet cura et oratione. Deinde peccatur contemptu proximi. Dicunt enim: Ad quid hic aut ille mihi utilis esse potest? Est & hæc uox aliena ab animo pietatis studioso. Nullus enim inter Christianos est, qui non sit nobis utilis, uidelicet, oratione sua. Nullus est qui non indigeat aliorum oratione. Nec Reges nec Monarchæ possunt bona conscientia dicere de extremo pastore, hic non est mihi utilis. Quare cum res ita se habeat, conferamus inuicem nostra officia, benefaciamus proximis nostris, ut participes efficiamur orationum eorum.

CVM GAUDIO FACIENS
PRECATIONEM.)

Quid? gaudet ne Paulus in precat
tione, cum sit in uinculis? Docet aut
tē hic primum, quod in uinculis aut
afflictione nihil prius nobis faciendū

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

sit, q̄ ut confugiamus ad Deum per
precationem. Sunt impij & increduli,
qui oppressi calamitatibus, aut u-
surpant diras execrationes, aut agi-
tant tantum consilia de parandis hu-
manis auxilijs, ne requirentes quidē
Deum, & cūm admonentur de fidu-
cia in Deum habenda, & de inuocan-
do nomine Dei, solent ridiculē respō-
dere: Quid mihi de Deo cōcionaris?
diu mihi expectādum erit, donec as-
fata columba inuolet in os meū. Sic
& in Comœdia, quæ est humanæ ui-
tæ speculum, cūm quispiam dixisset,
Dijs sum fretus, deos sperauimus.

Respondet alter:

Non ego istud uerbum emptum
titiuilitio,

Nam omnes mortales dijs sunt
freti, sed tamen

Vidi ego dijs fretos sæpe multos
decipi.

Hæc est uulgaris impietas, & ma-
gna Dei contumelia, quæ non appa-
ret

ret quidem tam atrox, quàm est homicidium & latrocinium inter homines, in cōspectu autem Dei maximè horribilis est. Etsi enim nemo debet negligere suum officiū, ut liberetur, quoquo modo licitè potest, ab aduersis, tamen prima omnium cura afflictis esse debet, ut auxilium apud DOMINVM Deum quærat, & solius Dei Patris per Iesum Christum auxilio cōfidat. Hoc officiū maximè omnium exigit Deus, & ut excitet nos ad hoc faciendum, immittit nobis afflictiones. Sumus enim serui & subditi Dei, et agimus uitam in principatu ac protectione eius. Nec licet nobis alium dominū agnoscere, quàm Dominum Deum nostrum. Dauid ait: Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Seruorum autē & subditorum est, ut in incursionibus hostium, aut alijs calamitatibus, non quærant alie nos dominos, sed confugiant ad legitimum suum magistrum, cui in-

*Serui quid
debeant do-
minis.*

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

dicare debent, quid acciderit. Hoc nisi fecerint, grauius solent puniri, quam si multas alias politicas leges uiolarent. Legitimus enim magistratus non potest ferre, ut subditi, se spreto & contempto, confugiant ad alienum dominum. Cum igitur nos simus serui Dei, exigitur a nobis, ut calamitates, quae immittuntur, primum omnium referamus ad Dominum Deum nostrum, & inuocemus eius auxilium. Hoc idem exigit a nobis primum praeceptum decalogi: Non habebis alienos deos coram me, Quod non uetat tantum, ne adoremus idola aut ficticios deos, per more gentium, Sed etiam ne confugiamus in aduersis ad aliena auxilia. Deinde, quod Paulus dicit se precari cum gaudio, docet quam conditionem pia preces habere debeant. Pia enim preces debent carere tristitia, sed impletae sint gaudio. Non loquimur nunc de carnali, externo, seu ciuili gaudio aut caetera natione.

natione. Quis sanus ista requireret
 in afflictionibus? Cùm Christus præ-
 caret in monte Oliueti, ut transiret
 calix crucis à se, non sensit externum
 gaudium, sed potius sudauit sangui-
 neum sudorem præ tristitia. Precan-
 dum nobis est hoc tempore pro diui-
 no auxilio aduersus hostes Ecclesiæ
 Christi. Et tanta est calamitas eorū,
 qui opprimuntur ab aduersarijs piæ
 doctrinæ, ut nequaquàm libeat aut li-
 ceat ridere. Quod ergo est gaudium
 illud, quod in oratione habendū est?
 Gaudium est, non carnale, sed spiri-
 tuale. Quale autem hoc sit, facile in-
 telliges ex antithesi. Vide mihi hypo-
 critas, de quibus Christus dicit, q̃
 incedant tetrici & tristes. Hi nullo
 gaudio orant, quia non audent læta
 conscientia accedere ad Deum, ab-
 horrent à conspectu Dei, propterea
 quod fidentes suis operibus, dubitant
 de misericordia Dei, dubitant de ex-
 auditione Dei. Hæc est impia & in-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

credula tristitia. Gaudium uerò est, certa fiducia misericordiæ Dei, quæ non potest cōcipi, nisi propter Christum filium Dei. Hæc certa Dei misericordia, maximum est gaudium, maximum solatium in oratione. Precantes enim debemus securi & læti esse de favore Dei, propter Christum, qui nobis Deum reconciliauit. Tale gaudium habuit ipse Christus in oratione sua, in monte Oliueti. Tale gaudium habuit Paulus in uinculis. Sciebat enim Deo placere sua uincula propter Christum, & quòd Deus glorificaturus esset ipsum per uincula. Tale gaudium debemus et nos habere in oratione aduersus Turcam, & alios hostes Ecclesiæ, uidelicet, quòd etsi Turca et reliqui aduersarij deorant multas gentes, non tamen deorabunt Christum, & Ecclesiam eius. Et quanquàm auferant nobis regnū terræ, non tamen possunt nobis auferre regnum cœlorum. Sed quòd est

est illud bonum apud Philippenses, propter quod Paulus tantas agit Deo gratias in oratione sua pro Philippensibus? Suprà enim dixit: Gratias ago Deo meo, etc. Porro quo bono agit gratias Deo? sequitur:

QVOD VENERITIS IN COMMVNIONEM EVANGELII

Quid inquires? nihil ne aliud? Expectabā longe aliud, uidelicet, quod ageret nomine ipsorū gratias Deo, quod dedisset eis multa frumenta & uina, quod fertilis esset annus, quod omnia essēt uili precio uenalia, quod urbs eorum esset una ex præcipuis urbibus totius Macedoniæ, &c. Hęc quidē sunt magna dona Dei, pro quibus etiā agenda sunt Deo gratiæ.

Sed COMMVNIO EVANGELII maximum omnium beneficium Dei est, quod potest ciuitati contingere. Euangelion enim, inquit aliās Paulus, est potentia Dei ad salutem omni credenti. Euangelion

*Communio
Euāgelij quod
le bonum.*

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

Christi donat nobis Christum. Quo
donato & accepto, habemus Deum
propitium, remissa sunt peccata, ad-
optati sumus in filios & hæredes
Dei, patet nobis cœlū, & seruamur
in morte, ad accipiendam cœlestem
hæreditatem. Communio autem E-
uangelij est communio omnium ho-
rum bonorum. Et ubicunq; est hæc
communio seu participatio, ibi nihil
potest nobis obesse, nec captiuitas,
nec fames, nec mors. Vbi aut̃ nō est
hæc communio, ibi nihil prodest nec
potentia, nec opulentia nec sanitas.
Quare communio Euangelij est præ-
stantissimum omnium bonorū, quæ
possunt ciuitati cōtingere. Cū aut̃
& nos simus beneficio Dei in eadem
cōmunionē, danda est opera gratitu-
dine, ut nō excōmunicemur, sed bo-
nis illis Euāgelij perpetuo fruamur.

PERSVASVM HABENS HOC
IPSVM, QVOD IS QVI
COEPIT, &c.

Bonum

Bonum opus, de quo Paulus loquitur, est communio Euangelij, cuius Philippenses sunt participes facti. Confidit ergo Paulus, quod cum Philippenses coeperint diuina clementia participes fieri Euangelij, perseuerent etiam in Euangelio, donec omnia Euangelij bona reuelata fuerint in aduentu Christi. Primum igitur docet hoc loco Paulus, quod non sufficit bene incipere in Euangelio, nisi etiam perseueres usque ad finem. Initium enim est propter finem. Quare nisi finem suum consequatur, nihil profuerit. Præterea, Deus tales nos iudicat, quales discedimus ex hac uita. Noster enim finis, prout hoc loco de fine loquimur, uitæ nostræ finis dicitur, non quod nihil post mortem super sit, sed quod post mortem non sit amplius spacium poenitentiae. Necesse igitur habemus perseuerare in uera Euangelij fide, usque ad finem uitæ nostræ. Saul et Iudas bene coeperunt,

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

sed quia non perseverârunt in incepto, perierunt perpetuo. Vulgo solemus bene incipere pietatem, cum confidentes in concionibus Ecclesiæ, cogitamus nos deinceps summam daturus operam pietati, Sed mox ut descendimus è templo, aut deficimus ad nova scelera, aut reuertimur ad uetera. Nihil igitur proderit nobis bonum initium, nisi perseveremus in pietate. Deinde quod Paulus dicit, Deum perfecturum, quod coepit, monet nos, ne quicquid nostris uiribus adscribamus. Vt enim non sumus meriti initium boni operis in nobis, ita non possumus mereri perfectionem boni operis, sed omnia sunt Gratia & clementia Dei. Philippenses, ut non sunt meriti, quod reuelatum sit ipsis Euangelion, ita non possunt mereri, ut perseverent in euangelio, sed est gratia Dei. Quid? Torpescemus ergo, & stertemus securè, quod perseverantia non cõstet nostris.

noſtris meritis, ſed tātum clementia
Dei: Nequaquā. Paulus non docet iſta
Philippenſes, ut ſiant ignaui, ſed ma-
gis ut excitet in iſtis ſollicitudinem,
gratiarum actionem, & obedientiā.
Nam cū honeſti homines cogno-
ſcunt perfeuerantiā communionis
Euangelij, quæ ad ſalutem noſtram
neceſſaria eſt, non eſſe ſitam in no-
ſtra manu, ſed in manu clementiæ
Dei, tunc excitātur principio ad ora-
tionem, ut hoc donum pñs precibus
à Deo petant: deinde excitantur ad
obedientiam, ne Deum ſuis ſcleri-
bus irritent ad indignationem, quo
commoueatur, ut excludat nos à cō-
munione Euangelij ſui. Iudæi fuerūt
gens electa, in cōmunionem cœleſtiū
bonorum, Sed non perfeuerārunt in
hac cōmunionem, quia non obedierūt
Deo, ſed prouocauerunt eum ad ira-
cundiā. Fuimus & nos gentes haſte-
nus in cōmunionem Euāgelij. Obediē-
dum igitur eſt Deo, ut cōſeruet nos in

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

*Temporum
diuersitas.*

hoc bono, & perficiat. Postremo quod
additur: Vique in diem Iesu Christi,
etc. non significat Philippenses illos au-
ditores suos uicturos usque ad nouissi-
mum diem, Sed significat, quod in die
seu aduentu Christi, reuelanda sint
coelestia bona, quorum per fidem fa-
cti sumus participes ex Euangelio.
Pone enim tria tempora, Vnum est
huius uitae. In hoc tempore cognos-
cendus est Christus, discendum est
Euangelion. Et quanquam efficimur
ex Euangelio per fidem filij Dei ac
haeredes coelestium bonorum, tamen
nondum reipsa sentimus ea bona per-
fecta frui, sed ambulamus in ad-
uersis usque ad mortem. Quemadmo-
dum enim paruuli sunt sub tutoribus,
nec differunt a seruis: ita & nobiscum
agitur in hoc seculo. Alterum est tem-
pus intra mortem & generalem re-
surrectionem seu aduentum Christi.
Hoc dicitur improprie tempus, quo
ad nos uidelicet homines adhuc uen-
ientes,

uentes, non quo ad Christum & ci-
ues coelestes in altero mūdo, coram
quibus mille anni sunt minus quā
unus dies. Intra hoc ergo tēpus, cor-
pus quiescit in terra ab ærumnis &
laboribus suis, quos pertulit in hac
terra, animæ autem piorum uiuunt
in Christo, in summa tranquillitate,
spe & expectatione uenturæ resur-
rectionis. Hodie, inquit, mecum eris
in Paradiso. Et, Commēdo in manus
tuas spiritum meū. Et, Cupio dissol-
ui & esse cum Christo. Nondum au-
tem percipit anima totum gaudium
coeleste, donec ueniat ultima Resur-
rectio. Tertium tempus, quod & ip-
sum dicitur improprie tempus, est e-
ternitas illa, quæ incipit in nouissimo
die, in qua re ipsa fruemur perpe-
tuo omni coelesti foelicitate. Sed ut
hanc accipiamus & fruamur ea, ela-
borandum est in primo illo tempore
huius uitæ usq; ad mortem. Quare
magna est oscitantia eorum, qui tran-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

figunt ætatem suam incurij, sicut illi agricolæ sunt pro ignauissimis habendi, qui tempore sementis ociantur aut helluantur.

SICVT IUSTVM EST

MIHI, &c.

Iure quodam hæc bona uobis precor & opto, propterea quòd habeā uos in uisceribus meis, hoc est, ego tantum uos diligo, quantum me ipsum. Quid ad hoc dicemus: nū Paulus impleuit legem caritatis perfectæ: nam & aliās dicit: Cupio esse anathema pro fratribus meis. Et sicut de Paulo in lege caritatis proximi scribitur, ita de Iosia scribitur in lege dilectionis Dei, iiii. Regum xxiiij. Similis illi non fuit ante eum, qui reuerteretur ad DOMINVM Deum in omni corde, in tota anima, &c. Ergo ne legem impleuit perfecte? Nichil minus. Nam in huiusmodi locis, primum consideranda est generalis sententia scripturæ, quòd in cōspectu

specu Dei nullus homo iustificetur.
Et, quod Caro non possit legem Dei
implere, sicut Paulus docet. Deinde
sentiendum est, quod scriptura lo-
quat de hominibus, ut hominibus,
videlicet, quod sic dilexerunt Deum
& proximum, quantum fieri potest
in hac imbecillitate carnis. Nam pec-
catum semper inhæret carni, nec mo-
ritur, donec homo moriatur. Et sem-
per manet illud firmum, quod iusti-
ficemur tantum propter Christum
per fidem. Quare, quod fecerunt
Iosias & Paulus, fuit quidem obe-
dientia Deo grata, non fuit autem
perfecta impletio legis, quæ non fit
in nobis, in hac quidem uita, nisi im-
putatiue. Cæterum, quod addit:
Quod habeam uos in uinculis me-
is, quibus defendo & confirmo E-
uangelion, exponit quid sint uin-
cula, captiuitates & mortes eorum,
qui patiuntur propter Euangeli-
on Christi, Sunt enim defensio &

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

confirmatio Euāgelij. Vnde & Martyria, hoc est, testimonia uocātur. Videmus autem ex martyribus certitudinem Euangelij Christi, Ethnica religio fuit diuulgata per uniuersum penè orbem terræ. Et tamen nullos unquā habuit idoneos martyres. Turcica religio uagatur nunc latissimè, sed nec illa habet martyres. Iudaica religio habet etiam suos quosdam assecclas, Sed & illa caret post Christum martyribus, nisi si qui propter seditiones aut alia scelera afflicti sunt. Et præcipui martyres Christianismi sunt ex Iudæis, ut sunt Apostoli, Stephanus & alij. Sola autem religio Christianismi, uidelicet, quòd lesus sit Christus, expiator peccatorum nostrorum, & seruator noster, hæc, inquam, sola religio habet martyres, hoc est, tales testes, qui non propter aliquod scelus, sed tantum propter confesionem Christi, rapti sunt ad supplicia, & testificati sunt sanguine

ac morte sua ueritatem Euangelij Christi. Primus omnium post prædicationem Euangelij, & Iohannem Baptistam, fuit Iesus Christus ipse. Hunc sequuntur deinde discipuli eius, Stephanus, Iacobus & alij Apostoli. Postea inchoata est laniena Christianorum inter Iudæos & Ethnicos. Hieronymus ait: Nullus est toto anno, præter Calendas Ianuarias, dies, quo non afflictis supplicio è nostris, quingenti martyres numerentur, &c. Quare cùm sit mentio martyris alicuius, admoneamur de ueritate & certitudine Christianismi aduersus oēs alias religiões. Sed dices: Si passionēs & supplicia sunt confirmatio ueritatis religionis, an non & furta aut latrocinia erunt religiosa opera: quandoquidem homines etiam patiuntur mortem propter furta et latrocinia. Item multi Donatistæ & Circumcelliones, multi item Anabaptistæ susceperunt mortem pro-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

pter suas hæreses. Ergo ne hæreses
erunt ueritas religionis? De passio-
bus furz et latronum facilis est respō-
sio, quod patiuntur mortem nō pro-
pter aliquam religionem, sed prop-
ter manifesta scelera, quæ apud om-
nes gentes damnata sunt. De hæreti-
cis autem consyderandum est, quod
quemadmodum nonnulli sæpe à Sa-
tana tanta furia exagitantur, ut sibi
ipsis cōsciscant mortem, ita & multi
decipiuntur uanis opinionibus, ut
malint mortem ferre, quàm ab opi-
nionē cedere. Nam ut passio sit uerū
testimoniū, necesse est, quod reli-
gio, quam passio testificatur, sit per
se uera & recta. Sicut enim in rebus
civilibus testis falsam causam non fa-
cit ueram, sed ueram causam confir-
mat ueram, ita in religione, martyr
non facit ipsam religionem ueram, si
antē fuerit falsa, sed si per se fuerit ue-
ra, tunc martyr confirmat ueritatem
eius. Christiana autem religio per se
est

est uera, reuelata de cœlo, testificata per Prophetas, confirmata per miracula, ac præcipuè excitatione mortuorum. Quare si accesserint martyres, publico hominū testimonio cōfirmatur. Ideoq; maximus honor est coram toto cœlesti cœtu, partipropter Christum.

CVM SITIS OMNES MIHI CON
SORTES GRATIAE, &c.

Alia causa, propter quam Paulus optimè sperat de Philippensib. quia, inquit, estis participes eiusdem gratiæ mecum. Hæc est communio Sanctorum. Etsi enim non omnes sancti habent eadem dona personalia, & priuata, sicut nec Philippenses habuerunt hoc donum, quod rapti fuerint in Paradisum, quemadmodum Paulus, omnes tamen habent eundē Christum, eundem patrem Domini Christi, & eadem bona ad ueram salutem necessaria. Multum autem prodest hanc concionem cognitam

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

habere. Primum enim prodest ad cōfirmandam fidem in afflictione. Ecclesia enim constat in omnibus malis & seruatur. Seruabit ergo & is, qui est membrum Ecclesie, quia est communio Sanctorum. Deinde prodest ad retundendam arrogantiam & cōtemptum proximi. Sicut Petrus iubet maritos humaniter tractare uxores, quòd sint consortes eiusdem gratiæ, ita nullus Christianus debet alterum Christianum contemnere. Solemus alter alteri suum honorem inuidere. Alius quispiam ita fastidit proximum, ut nec cum ipso sedere uelit. Ab hac arrogantia abducit nos communio Sanctorum. Cogitandum enim est, quòd necesse habemus ferre, ut is, quem cōtemnimus, idem nobiscum cœlum inhabitet, cur ergo non pateremur, ut etiam in eadem terra aut eodem loco terræ nobiscū sederet? Item habemus communem Christum, communem orationem domini.

EXPLICAT. IOAN. BREN. 19

dominica, communia sacramenta.
Quæ ergo est illa insolentia, quod
non uelimus ferre, ut participet no-
biscum minora bona, ea uidelicet, in
quibus Deus uult nos inuicem red-
dere participes?

TESTIS EST MIHI DEVS, &c.
ET ILLVD ORO, VT
CARITAS, &c.)

Verfatur Paulus adhuc in exor-
dio Epistolæ, & captat beneuolenti-
am, cum testatur, quanto amore cõ-
plectatur Philippenses, & quãto de-
syderio pro ipsis apud Deum inter-
cedat. Videamus ergo quæ bona,
quæ beneficia Paulus precetur, ut
Philippensibus contingant: Oro, in-
quit, ut caritas uestra (hoc est, uos ip-
si. Sic enim loqui solemus, Tua pru-
dētia, Tua dignitas, hoc est, Tu ipse)
magis exuberet, &c. Orat Paulus ut
fiant magis ac magis diuites seu exu-
berātes. In quibus rebus: num in ex-
ternis diuitijs? De his ne uerbū qui-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

dem facit. Has solas mundus quærit
et putant homines se propter has pa-
randas natos esse. At hæc diuitiæ nul-
lam afferunt salutem, sed potius affe-
runt perniciem, nisi magna diligen-
tia & pietate administrentur. Qui
uolunt, inquit Paulus, ditescere, inci-
dunt in tentationem, & laqueum &
cupiditates multas, stultas ac noxi-
as, quæ demergunt homines in exiti-
um & interitum. Quare Paulus non
precatur Dominum, ut faciat Philip-
penses diuites externis opibus, sed
precatur, ut faciat eos diuites in dua-
bus rebus. Altera est Agnitio, uideli-
cet Christi & uerbi Dei, ac experien-
tia rerum spiritualium, ut cognosca-
mus, quæ sunt Deo placentia, & no-
bis ad salutem utilia. Hoc est necessa-
rium bonum. Oportet enim nos an-
te omnia habere cognitionem Chri-
sti, qua iustificemur & seruemur.
Hæc est, inquit, uita æterna, ut cog-
noscant te uerum Deum, & quem
misisti

misisti Iesum Christum. In hac autem agnitione, non est retrospiciendum. Nemo, qui admouit manum ad aratrum & retrospicit, aptus est regno Dei. Nec est cessandum & ociandum, sed semper est ultra pergendum, ut magis ac magis cognoscamus Christum ac beneficia eius, & ut rebus ipsis intra nos experiamur, nihil esse certius quam Christum regnare. Præterea ut experiamur sensu ipso, quod utile nobis sit, ut aliquoties affligamur, & non semper pro libidine nostra exaudiamur. Ignauī homines, qui sunt dediti uentri, nihil curant rerum spiritualium, sed comparant se ad aliorum hominum mores, & ad externos rerum euentus. Ac primum, quod ad religionem attinet, credunt & faciunt sacra, quæ uident uicinos suos facere. Nec afficiuntur magna cura religionis. Deinde si res foeliciter succedunt, gaudent, lætant, uiuunt pro libidine, nec patiuntur

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

se coërceri. Postremo, si infortuna
 oritur, tristantur, deijciunt animum
 & desperant, nec patiuntur se conso-
 latione erigi. Sic uulgo uiuitur. Ac
 Paulus longe aliud exigit, longe ali-
 ud precatur pro Philippensibus, imo
 pro tota Ecclesia. Petiit enim, ut dite-
 scant in agnitione, uidelicet Christi,
 & in experiētia rerum spiritualium,
 nimirum ut reipsa intelligant & sen-
 tiant, solam Christi religionē esse cer-
 tissimam, & afflictiones in hoc secu-
 lo non esse malas. Exemplo est Pau-
 lus ipse, qui orans ut auferatur ab ip-
 so Satā colaphisans, passus est repul-
 sam, sed postea reipsa sensit, q̄ hac
 afflictio fuerit ei utilis. Ad consequē-
 dam autem hanc experientiam, dili-
 genter est cognoscendum uerbum
 Dei, & obseruanda sunt cōsilia Dei
 ex uerbo eius. Quare uita Christia-
 na non est ignauum ocium, nec est la-
 bor corporalis, sed est magna diligē-
 tia in rebus spiritualibus, ut semper
 profi-

proficiamus in uera pietate . Altera
 res, in qua Paulus precatur, ut Philip
 penses ditescant, hæc est, ut sint im
 pleti fructu iusticie, ut sint diuites bo
 nis operibus. Non ait, Vt exuberetis
 uino & frumento, sed ut exuberetis
 fructu iusticiæ, quæ contingit per Je
 sum Christum ad gloriam et laudem
 Dei, ut nemini sitis offendiculo, &c.
 Has diuitias oportet quemuis pium
 possidere . Non enim præceptum
 est, ut ditescas opibus terrenis, sed
 præceptum est, ut ditescas opibus iu
 sticiæ. Primum autem, iusticia nostra
 est solus Christus, uidelicet, si credi
 mus in ipsum, reputamur corā Deo
 iusti propter Christum. Deinde hæc
 iusticia Christi nō donatur nobis, ut
 sit intra nos ociosa, sed est uelut se
 men. Semen nō proiicitur in agrum
 ut prorsus computrescat, sed ut fru
 ctum ferat. Sic etiam donatur nobis
 iusticia Christi, ut ex ea afferamus
 fructum. Quem fructum? Ambulā

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.
dum est sine offendiculo, ducenda
est honesta uita. Non helluandum,
non blasphemandum, & hoc semper
cauendum est, non uno die aut altero,
sed usque ad diem Christi, hoc est,
per omnem uitam nostram. Sed quare
ob causam hic fructus iustitiæ facien-
dus est? num ut mereamur coelestē
beatitudinem? Hæc opinio esset con-
tra iusticiam fidei in Christum. Ad-
dit ergo Paulus: Ad gloriam & lau-
dem Dei. Bona enim opera facienda
sunt, non opinione meriti, sed ut glo-
rificemus Deum, ut gratias ei aga-
mus, ut bono simus exemplo, quo et
alios ad agnitionem Dei inuitemus
& excitemus.

Hactenus Exordium huius Epi-
stolæ, sequitur nunc Narratio.

SCIRE AUTEM VOS VO-
LO FRATRES, &c.

Hæc est narratio huius Epistolæ.
Complectitur autem multos locos
usque ad finem. Principio consolatur
Philip.

Philippenses, & hortat eos, ne fiant pusillanimes in fide Euangelij propter uincula sua. Paulus enim cum hæc scripsit, erat captiuus Romæ propter Euangelion Christi. Docet igitur, *Pauli uincula.* quod uincula sua in tantum non sint impedimento Euangelio, ut potius cedat ad profectum Euangelij. Et additur ratio, quia hac occasione diuulgatur Euangelion non inter pios tantum & uulgares homines, sed etiam inter aulicos in prætorio Imperatoris. Pii enim sunt confidentiores exemplo Pauli. Itaque fit, ut prædicatio Euangelij diuulgetur tam per pios, quam per impios & incredulos. Etsi enim nonnulli (inquit) recitant causam meam inuidiose & contumeliose, tamen etiam hoc modo Christum contra ipsorum uoluntatem prædicant. Hic locus diligenter est considerandus & obseruandus: docet enim nos, quod aduersa & persecutiones magis iuuant Ecclesiam, quam perdunt eam. Hoc pertinet ad

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

Apostolorū
mors pro
dest ecclesie.

1. Regum 9.

vana carnis iudicia refutanda. Cū
Paulus cōiiceretur in carceres, &
postea etiā occideretur, sicut et Pe-
trus, existimârunt imbecilles aut re-
rum diuinarum ignari, actum & cō-
clamatū esse de Christianismo, pro-
pterea quòd capita huius religionis
erant occisa. Sed Deus rem ita admi-
nistravit, ut mors Pauli & Petri plus
profuerit Ecclesiæ, quā obfuerit.
Veritas enim Euangelij confirmata
est sanguine eorum. Duo discipuli
proficiscentes ad Emauntē post
mortem Christi, apertè significant
se desperasse de regno Messiae, sed
mors Christi fuit uia, qua regnum
Christi maximè promouit. In Israël
capiebatur arca propiciatoriij à Philis-
tinis. Quæ res uidebatur esse inter-
necio totius religiōis Israëliticæ. Vnde
& Eli ad mentionem captæ arcæ,
ita obstupuit, ut subitanea morte pe-
rierit. Et tamē ea arcæ abductio ces-
sit in illustrem gloriam ueræ religio-
nis.

nis. Vide i. Reg. .iiij. & v. & vi. Cùm
deuastaretur Hierusalem à Babylo-
nijs, & Iudæi abducerentur captiui
ad Babyloniam, uidebatur cōclama-
tum esse de tota religione ueri Dei.
At ea occasiōe religio uera sparsa fu-
it per totam Monarchiam Babylo-
nicam, hoc est, per totam terrā. Quid *Ecclesia in*
ergo est quod Deus Ecclesiam tam *aduersis con-*
admirabiliter per aduersa cōseruat? *seruatur.*
Hoc idcirco solet Deus facere, ut illu-
stret industriam magisterij sui, & ut
nos ad rectè credendum assuefaciat.
Nam si Deus conseruaret suam Ec-
clesiam per externam potentiam &
prosperum externarum rerum euē-
tum, tunc non reuelaretur industria
& potentia eius. Sicut eruditio medi-
ci non cognoscitur ex durabili homi-
nū sanitate, sed ex magnitudine mor-
borum, ex quibus medicus homines
liberat. Præterea si Deus non conser-
uaret incolumitatē Ecclesiæ, nisi per
externam foelicitatem, tunc nullus

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

posset certo confidere, se in morte,
uirtute Christi, conseruari ad uitam.
Huc pertinet etiam exemplum no-
stri temporis. Euangelion enim diu-
na clemētia apud nos reuelatum est,
Aduersarij multas insidias excogita-
runt, quibus uoluerunt Euangelion
opprimere. Multas bullas ædiderūt
aduersus Euangelion, Multos truci-
dā runt. Sed hac occasione adiuuerūt
potius cursum Euangelij, quā im-
pedierunt. Alij enim ex pietate, alij
ex inuidia, alij ex curiositate, spar-
runt Euāgelion in alias nationes. Er-
go, inquis, non est orandum contra
aduersa, nec est pugnandum aduer-
sus Turcā, aut alios publicos hostes,
sed permittendum est, ut Turca cru-
deliter in nos grassetur? Minimē om-
nium. Vnusquisq; suum debet face-
re officium orando & pugnādo. Sed
si omnino acciderit externa infœlici-
tas uoluntate Dei, non est sentien-
dum, quòd ea infœlicitas sit inter-
necio

necio Ecclesiæ, sed quòd clementia
Dei uertatur in Ecclesiæ utilitatem.
Sicut & Ioseph ad suos fratres dicit:
Vos cogitastis de me malum, Deus
autem uertit in bonum, &c.

ATTAMEN QVOVIS MODO SI
VE PER OCCASIONEM, &c.

Gaudet Paulus de profectu Euā-
gelij. Gaudet quòd Christus adnun-
cietur, etiam si multi loquantur de Chri-
sto, non ut laudent eum, sed ut dam-
nent, hac tamē occasione Christi glo-
ria uulgatur. Exemplū nobis in Pau-
lo propositum est, ut maximè omni-
um gaudeamus de prædicatione Chri-
sti & profectu Euāgelij. Licebit qui-
dem nobis etiam gaudere de sanita-
te corporis, de ubertate & abundan-
tia frugū, de externa pace, maximè
autem omnium gaudendum est de
Euangelio Christi. Illa enim bona nō
sunt firma & sufficientia ad uerā fœ-
licitatem. Euangelion autem Chri-
sti maximum omnium bonum est.

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

Nam propter Euangelion constituntur regna & politia. Propter Euangelion dantur nobis necessaria huius uitae. Vivimus enim, ut cognoscamus Deum & assequamur foelicitatem, quam certe non assequimur, nisi per Euangelion Christi, quod est potentia ad salutem omni credenti. Quare maximè omnium propter profectum Euangelij gaudendum est. Dices autem: Quid tu Paule gaudes de profectu Euangelij, cum sis captivus: quomodo potes concipere aliquod gaudium in captivitate? Ad hoc respondet Paulus ipse & ait: Noui quòd hoc mihi cedit in salutē, &c. Et mox additur: Mihi uita Christi est, & mors lucrū. Hic est unus è præcipuis locis huius Epistolæ. Quare diligenter est adnotandus. Captivus est Paulus, & fieri potest, ut è captivitate ducatur ad supplicium. Attamen ait: Noui quòd cedit mihi in salutem quicquid acciderit, siue dimittar

Paulo omnia
in bonum cedunt.

mittar liber, siue occidar. Primum ergo, Vnde hoc nouit Paulus? Additur: Per uestram deprecationem & subministrationem spiritus, iuxta expectationem & spem meam, Noui hoc, inquit, ex precibus uestris. Vos oratis pro mea salute, Deus autem respicit orationem piorum. Noui etiam hoc è spiritu Christi, qui ex Euangelio concipitur. Euāgelion enim dicit: Beati estis, cū insectati uos fuerint homines propter me. Et Christus dixit, Non cadit capillus, &c. Ex his certus fit Paulus, quòd quicquid acciderit ei, cedat ei in bonum. Sicut & ad Romanos ait: Diligētibus Deum omnia cooperantur in bonum. Deinde uidendum est, quomodo cedat Paulo in bonum, quicquid ei acciderit, siue mors siue uita. Addit ergo huius rei causam dicens: Manifestabitur Christus in corpore meo, siue uiuam siue moriar. Nam uita mihi est Christus, mors autem lucrum,

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

*Pauli uita
Christus.*

Si dimittar liber & diutius uixero,
tunc sicut ego credo in Christum, &
habeo propter ipsum iusticiam ac ui-
tam æternam, ita omnes actiones ui-
tæ meæ eò tendunt, ut Christum a-
lijs prædicem, & Christus ubique in
orbe terrarum illustretur. Tota uita
mea siue in animo coram Deo, siue
in actionibus meis corā mundo, con-
sistit in Christo. Hoc solum ago, hoc
solū uiro, ut Christū magis ac magis
et ipse agnoscat & alijs prædicem. Si-
cut uita auari est pecunia, quia diu
noctūq; nihil aliud agit, quàm ut pe-
cuniam colligat. Et uita ebriosi sunt
conuiuia, quia noctes atque dies hoc
unum meditatur, ita e contra Chri-
stus dicitur esse uita Pauli, quia ut
credit in eum, ita nihil aliud agit aut
meditatur, quàm ut in Christo cre-
scat, & Christum glorificet. Mors au-
tem lucrum. Quomodo? Lucrum di-
citur, quia mors Pauli multos lucrificat,
ut agnoscant Euangelion. Ad
hæc

Mors lucrū.

hæc lucrum dicitur, quia per mortē
 liberatur ab omnibus persecutioni-
 bus, & consequitur firmam fœlicita-
 tem in Christo. Quod ergo hoc loco
 Paulus de se loquitur, hoc elaboran-
 dum est, ut unusquisq; in se uerē sen-
 tiat, & in suum usum transferat. Fit
 autem nunc sermo de p̄ijs, nō de im-
 p̄ijs hominibus. Nā imp̄ijs nulla res
 cedit in bonum, siue regna, siue prin-
 cipatus, siue uita, siue mors. P̄ijs autē
 omnia sunt adiumento in bonū. Exē-
 pli gratia: Si quis paupertate premi-
 tur, sicut Paulus captiuitate, debet
 cum Paulo dicere ex animo: Vita mi-
 hi Christus est, mors autē lucrum, hoc
 est, si Deus uoluerit ut in paupertate
 uiuā, Christus uita mihi est, quia ut
 in Christum credo, ita & iuxta uoca-
 tionem Christi ambulo, si uoluerit
 me in paupertate mori, tunc mors
 lucrum mihi. Itaque cedit mihi in
 bonum quodcunque acciderit. Aua-
 rus dicit: Vita mihi pecunia, & mors

*P̄ijs omnia
 cedunt in bo-
 num.*

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

mihi dispendium. Sicut & ebriosus ait: Vita mihi uinum, & mors perpetua litis. Sed pius si graui morbo corripitur, dicere potest cum Paulo: Vita mihi Christus, mors autem lucrū. Quodcunque fiet, bonum mihi erit. Vnde autem hoc agnoscam? Primū ex spiritu Christi, quia Euangelion docet Christum satisfecisse pro peccatis nostris, & sanctificasse credentibus in ipsum, omnes afflictiones, adeoq; mortem ipsam. Deinde ex precibus totius Ecclesiæ, quæ non possunt esse uanę. Ecclesia enim ubique orat, Pater noster, Remitte debita nostra, &c. libera nos a malo, &c. Quare debemus & nos diligenter pro alijs afflictis orare, ut & nos uicissim queamus consolationem ex alienis precibus concipere.

QVOD SI CONTINGAT MIHI VIVERE, EA RES.)

Paulus proposita uita & morte, dubitat quid eligere debeat. Habet
ex

ex utraq; parte rationes, quæ ipsum
 mouere possēt: Vt occidatur & mo-
 riatur, lucrum est, quò dissoluatur
 & uiuat cum Christo. Vt autem ui-
 uat in hac carne, Ecclesiæ adhuc ne-
 cessarium fuit. Quare cū ipse dubi-
 ter, reponit euentum rei in manum
 Dei. Exemplum est, quo & nos do-
 cemur modestiam in eligenda uita
 aut morte. In qua re homines nullū
 modum seruare sciūt. Nam cū fœ-
 lices sunt in hoc mundo, nihil minus
 cupiunt quàm mortem. Et ad mor-
 tis mentionem pallescunt & trepi-
 dant. Cū uero sunt infœlices, ibi tū
 exclamāt miserrime: O mors ubi es,
 quando uenis? cur tam diu cessas?
 Atq; utinam in primo balneo suffo-
 catus essem. Hæc magna est immo-
 destia ac etiam impietas. Oportet e-
 nim nos semper paratos esse ad obse-
 quēdum uoluntati Dei. Si uult ut ui-
 uamus aliquandiu in infœlicitate hu-
 ius seculi, obediendum est. Quis em̃

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

scit, cui necessaria aut utilis sit uita nostra? Si uult ut deseramus huius seculi foelicitatem, quam habemus, & moriamur, sequenda est uocatio Dei, quia manet nos maior foelicitas in altero seculo. Ad hos mores assuefaciamus nos. Hoc autem fit consideratione officij nostri, quod debemus Deo, item recordatione earum rerum, quas in Christo habemus. Præterea cogitatione instabilis, caducae & infœlicis foelicitatis huius seculi. Deinde Paulus clarissime definit, quid sit uita corporalis, quid mors, & quid post mortem credentibus in Christum accidat, cum ait: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Nam cum dicit Dissolui, significat hanc corporalem uitam non esse nisi carcerem, in quo quis teneatur ligatus & uinctus, ne habeat ueram foelicitatem, & ne uiuat cum Domino suo Christo. Etsi enim Christus semper nobiscum est in hac uita, tamen præ mole

Uita corporalis, carcer.

EXPLICAT. IOAN. BREN. 33

mole huius corporis & sordium animæ, quibus propter peccatum originale infecti sumus, non possumus capere in hac carne fructum fœlicitatis, quam habemus in Christo. Itaque hæc corporalis uita, non est nisi carcer, in quo ligatis manibus & pedibus tenemur, ne fruamur Christo Domino nostro. Qui ergo hoc solum agit, ut in hoc seculo uiuus maneat, is perinde facit, ac si captiuus delectaretur turri aut carcere suo, & nollet egredi, cùm liberum esset. Deinde ex uocabulo, Dissolui, manifestum est, quòd mors non sit ultima linea rerum, ut ille ait, Sed sit tantum solutio à uinculis, quibus homines detinentur in infoelicitate huius uitæ. Mors habet iucunda epitheta. Hic uocatur dissolutio uinculorum, aliàs uocatur somnus. Talem effecit mortem CHRISTVS. Et pñ fruuntur hoc beneficio Christi: impio-



IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

*Animæ pio-
rū post mor-
tem cum
Christo.*

rum autem mors est pessima. Quare consideremus mortem non qualis apparet, sed qualē eam fecit Christus. Huc accedit, quod cū Paulus ait: *Esse cum Christo*, significat animas piorum hominum post mortē & uiuere & cum Christo foeliciter commorari, usq; ad nouissimum diem, quo recipient corpora, ut unā cū corporibus suis foeliciter uiuāt. Qualis autē hęc sit uita, nemo potest humana ratione assequi. Animæ non audiunt, non uident, nō loquuntur, non ambulant. Hęc enim sunt officia corporalia. Animæ autem ducūt uitam spiritualem, &c.

ET HOC CERTO SCIO, QVOD
MANSVRVS.)

Hęc est prophetia, quam Paulus non accepit ex generali Euangelio, sed ex singulari reuelatione spiritus sancti. Quod autem prophetat, hoc impletur, quia dimittit liber ex hac captiuitate, & prædicat Euangelion adhuc

EXPLICAT. IOAN. BRENT. 39

adhuc x. annis. Dicit autem se liberū
dimittendum, non in suum usum, sed
in usum Ecclesiæ. In uestrum, inquit,
profectum & gloriationem, uideli-
cet, ut possitis certo cognoscere &
gloriarī, Deū exaudisse uestras pre-
ces, &c. Hoc docet, quòd si libere-
mur ex afflictione, non liberamur ut
nobis corporaliter beneficiamus,
sed ut simus proximis usui. Vt enim
non sumus nobis nati, ita nec nobis
restituimur sanitati aut libertati.

TANTVM VT DIGNVM EST
EVANGELIO.)

Prædixit Paulus se rediturum ex
captiuitate ad Philippenses. Addit i-
gitur correctionem. Videbat enim
multos esse, qui multo magis cupie-
bant Paulum præsentem habere, q̃
rectà in uocatione Euangelij ambu-
lare. Putabāt sufficere sibi Pauli præ-
sentia & pietatem, propterea quòd
Paulus erat electum Dei organon,
raptus in tertium cœlum, & ædide-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

rat multa miracula. Quare sentiebant nihil sibi deesse ad pietatem & salutem, si modo Paulus esset praesens, ac interim non dabant multam operam obedientie, quam debebant uerbo Dei. Sicut & quondam Iudaei putabant sibi ad pietatem sufficere, quod haberent secum templum Hierosolymitanum, dicentes: Templum Domini, templum Domini, &c. Ieremias vii. Hanc opinionem corrigit Paulus, & ait: Siue rediero, siue absens fuero, date uos operam, ut ambuletis digne Euangelio. Salus enim uestra non in hoc sita est, ut sim praesens uobiscum, sed ut digne ambuletis Euangelio, quod à me didicistis. Quid ergo est Euangelio digne ambulare? Euangelion est quo adoptamur in filios Dei, & efficimur ciues coelestes. Primum ergo filij Dei non abutuntur nomine Dei ad execrationes. Hoc enim faciunt filij Satanæ. Deinde filij Dei & ciues coelestes non inuident,

uident, non litigant, non exercēt imposturas, non helluantur, non sectantur molliciem, non scortant, sed sunt candidi, exercent iusticiam, sectantur sobrietatem, castitatem & reliquas uirtutes. Ergo Euangelio dignè ambulare, est honestis uirtutibus operā dare. Nam Euangelij sectatores non agnoscuntur esu carnis in die Veneris, sed agnoscuntur resipiscencia & mutatione uitæ in melius, uidelicet si impostor sectetur iustitiā, si ebriosus sectetur sobrietatem, si blasphemus sectetur honestatem.

AVDIAM DE VOBIS QVOD STETIS IN VNO SPIRITU, &c.

Enumerat nunc Paulus aliquas uirtutes quas debemus sectari, ut dignè Euangelio ambulemus. Stetis, inquit, in uno spiritu, & una anima, hoc est, Sitis unanimes. Non sitis cōtentiosi. In quo ergo consistit unanimitas? Primum in fide. Cōsentiamus in recta religione. Nam qui non agnoscunt rectam religionem, cum

*Vnanimitas
in recta fide.*

his debemus quidem externam pacem habere, non autem in impietate aut iniquitate. Deinde unanimitas consistit in caritate, ut in rebus meritis libenter inuicem cedamus, & aliorum infirmitates feramus. Sequitur aliud quod ad uitam Euangelio dignam pertinet. Aduuantes decertantem fidem Euangelij, hoc est, sufferre patienter afflictiones quæ uobis accidunt propter fidem Euangelij, & non terreamini ferocia aduersariorum. Sed quomodo, inquis, possumus eas patienter ferre, & non terri ab aduersariis? Sequitur: Quæ illis est causa perditionis, uobis autem salutis, & hoc à Deo. Obseruabile est, quod dicit: Quæcumque aduersarij moliuntur aduersus pios, sunt piorum salus, & impiorum internecio. Nam quemadmodum si quis calcitrat aduersus stimulum, ledit seipsum, non stimulum, ita si quis persequitur pios, magis seipsum quam pios ledit.

Exem-

Exemplum habes in Pharaone & Israelitis, in Iudæis & Apostolis, in Gentibus & Christianis, &c.

QVIA VOBIS DONATVM
EST PRO CHRISTO, &c.

Hortatus est antea Paulus Philippenses, ut patienter ferant aduersa, & non terreantur furore aduersariorum. Ac addidit argumentum ab utili. Vobis enim, inquit, est causa salutis, non quidem propter merita aduersitatis humanæ, sed in Deo, hoc est, propter clementiam Dei, propter Christum. Nunc addit argumentum ab honesto. Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini, &c. Honestissimum est non solum in Christum credere, sed etiam propter Christum affligi. Hoc autem est vobis donatum diuinitus. Ergo debemus hoc donum Dei diligenter conseruare. Apparet autem magistratum Philippensium crudeliter se

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

uissse in discipulos Pauli, post recessum eius è Philippis. De quo uide Acta Apostolica cap. xvi. Ceterum hic est etiam unus è præcipuis locis huius Epistolæ, uidelicet, quòd pati propter Christum, aut propter iusticiam, seu iniuria affici, sit maximum donum Dei. Nemo ferè est qui non trepidet ad afflictiones & iniurias sufferendas. Et cum in afflictionibus, quas propter peccata meriti sumus, obmutescamus, maximè tamen exclamamus de afflictionibus, quæ nobis immeritis accidere uidentur. Solemus enim dicere: Non ægre ferrem hanc iniuriam aut cõtumeliam, si saltem meritis essem, &c. Sed nescimus quid loquamur. Primum, rarissimus est etiã inter sceleratissimos, qui se fateatur afflictionem aut supplicium esse meritum. Ingenia humana sunt ad suam cuiq; leuandam culpam nimio plus facunda. Deinde, quid est, quod exclamemus nos libè
ter

ter laturos supplicium, si modo meriti essemus? An uerò mallems esse fontes, quàm infontes; an magis scelerati quàm innocentes? Quæ est hæc insaniam? Postremo, Credere in Christum maximum est beneficium Dei, sed non solum credere, uerum etiam pati propter Christum, multo maius est beneficium. Sic & magnum est beneficium iuste facere, sed multo maius beneficium est iniusta propter iustitiam pati. Dicamus initio de eo beneficio, quod est credere in Christum. Hoc est maximum beneficium Dei. Confer cum alijs beneficijs, nullum reperijs quod excellat. Cæsarea maiestas ingens donum Dei est. Diuitiæ, sanitas corporis, magna sunt beneficia Dei. At hæc dona nec iustificant, nec seruant in morte, nec reponunt habentem ea, in cælum. Sunt aqua illa, de qua Christus dicit, Qui biberit ex hac aqua, iterum sitiet. Qui autem credit in Christum, is consequitur iu-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

stitiam & salutem. Nullum igitur beneficium maius potest homini à Deo contingere, quàm cognitio & fides in Christum. Hæc est, inquit, uita æterna, ut te solum uerum Deum cognoscāt, & quem misisti Iesum Christum. Sed hoc donum longe omnium excellentissimum est, si non solum credis in Christum, uerum etiam si donatur tibi, ut & propter Christum patiaris aduersa. Hos uocāt Martyres. Primum enim qui affliguntur propter Christum, fiunt Christo conformes, gestant eādem crucis imaginē, quam Christus filius Dei gestauit. Est autem maximus coram Deo & toto cœlesti cœtu honor, eadem imagine incedere ornatū, qua Christus incessit. Sicut magnus est honor, si quis gestauerit potentissimi principis signa, quibus fit omnibus formidabilis & inuiolatus, ita & Satan necesse habet formidare eum qui incedit ornatus signo Christi, quod est

cruz.

crux. Non intelligas autem signum crucis digitis formatum, sed aduersus gestatum. Deinde pati propter Christum adimplet passiones, quæ adhuc desunt corpori Christi. Colo. i. Nihil deest quidem passioni personæ Christi, qua expiata sunt peccata, sed deesse ei dicitur, quod membra Ecclesiæ ferre debent ad testimonium Euangelij. Hanc indigentiam dicitur adimplere is, qui propter Euangelion affligitur. Quod cum sit magnus honor coram Deo & cœlesti cœtu, manifestum est, magnum honorem esse, pati propter Christum. Adhæc Deus non solum præcipit ut bona faciamus, sed etiam ut mala patiamur. Inter passiones autem malorum præcipuū est pati propter Christum. Quare & hæc passio est præcipuus ac præstantissimus cultus Dei. Præterea Paulus Roma. octauo ait: Siquidem compatimur, ut & unā cum ipso glorificemur. Et aliās: Si

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

sufferimus & conregnabimus. Non merentur quidem martyres sua passione regnum cœlorum, sed quo maiora patiuntur, eo maiorem honorem habent in regno cœlorum, quod contingit gratia & clementia Dei propter Christum. Gaudete, inquit, & exultate, quia merces uestra magna est in cœlis. Quare non est dolendum propter afflictiones, quæ accidunt propter Christum, sed potius gaudendum est. Sicut & Apostoli gausi sunt, quod digni essent habiti, qui propter Christum affligerentur.

CAP. II.



I QVA IGITUR CONSOLATIO VEL ADMONITIO IN CHRISTO, &c.

Paulus è priore laudatione infert exhortationem. Laudauit enim Philippenses à donis cœlestibus,

lestibus, uidelicet, quòd tantis donis
 sint præditi, ut nò solum sint creden-
 tes in Christum, sed etiam sint marty-
 res Christi. Nunc ergo hortatur eos
 ut non abutantur his donis. Maximũ
 donum est credere in Christum. Per
 hoc enim solum iustificamur & ser-
 uamur. Maximum est donũ pati ad-
 uersa propter Christum & esse mar-
 tyrem. Non est autem sentiendum,
 quòd liceat his donis ad discordiam,
 ad contentiones, ad rixas, & ad con-
 tumeliam proximi contra caritatem
 abuti. Sed necessitas fidei exigít, ut si-
 mus inter nos unanimes, & serue-
 mus mutuam caritatem. Martyrium
 enim etsi excellentissimũ est donum
 Dei, tamẽ nihil est si defuerit caritas.
 Ad Corinthios dicitur, Si tradidero
 corpus meum ut comburam, carita-
 tem aut nò habeam, nihil utilitatis ca-
 pio. Cũ ergo necessaria sit inter Chri-
 stianos caritas & unanimitas, insti-
 tuit nũc Paulus exhortationẽ ad una

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

*Unanimitas
in quibus
consistat.*

nimitatē, ac multa coaceruat ad mouendum affectum Philippēsum, ex quibus apparet magnum fuisse dissidium inter eos. Si qua, inquit, admonitio in Christo, Similiter sitis affecti, eandem caritatem habentes, unanimēs, idem sentientes, etc. Primū ergo uidendum est, in quibus rebus consistat unanimitas. Consistit autē initio in unitate ueræ religionis & fidei. Non debemus esse unanimēs in falsa religione cum impijs, sed in uera religione cum pijs. Vera autem religio ea est, quam docent Prophetica & Apostolica scripta, & quæ habet testimonia ueterum ac purioris Ecclesiæ, &c. Deinde unanimitas consistit in uitæ honestate & iusticiā: Nō enim debemus unanimēs esse cum sceleratis, in inuidiā, in impostura, in furto, in latrocinio, etc. Hęc unanimitas aliquoties reperitur inter negotiatores, inter coniuges. Inter negotiatores alter alteri cupit imponere.

Inter

Inter coniuges alter alteri precatur mortē. Sed hæc unanimitas summa est diuersitas, hic consensus summus est dissensus. Quare omnino fugiendus. Vnusquisq; autem discat ab altero bona uitæ suæ exempla: hæc est uera concordia. Præterea unanimitas cōsistit in remittendis illatis iniurijs & contumelijs aut damnis. Caritas enim exigit, ut non exigamus omnia summo iure à proximo, sed libenter condonemus alijs sua delicta in nos. Nam si omnia exigimus summo iure à proximis, idem faciet etiā Christus de nobis. Summū ius Dei aduersus nos illud est, quòd cū nō facimus legem, omnes sumus obnoxij perpetuæ damnationi. Consistit etiam in alijs rebus unanimitas, de quibus Paulus mox. Nos his nunc contenti erimus. Hortatur ergo Paulus, ut Philippenses seruent inter se hanc unanimitatē & caritatem. Hortatur autem eos primum ab auctori-

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

tate admonitionis Christi. Si qua, in-
 q̃t, est admonitio in Christo, hoc est,
 si uultis audire admonitionem Chri-
 sti, debetis esse unanimes. Nō. n. sim-
 plex quispiam homo, sed Christus i-
 pse admonet nos caritatis & unani-
 mitatis. In hoc, inquit, cognoscent
 quod sitis discipuli mei, si caritatem
 mutuam habueritis. Et hoc est man-
 datum meum, ut diligatis inuicem.
 Quis autem admonenti, imò & ob-
 secranti Christo non obsequeretur?
 Deinde hortatur à iucundis & gra-
 tis beneficijs à Deo acceptis. Si quod
 solatium dilectionis, hoc est, si unq̃
 accepistis aliquod solatium, aliquam
 consolationem à Christo, quæ uobis
 dilecta, iucunda & grata fuit, certe
 nunc debetis eam meminisse, & ad
 declarandam gratitudinem uestram
 seruare unanimitatē. Alij alijs rebus
 uolunt se declarare gratos erga De-
 um. Hypocritæ multis uerbis, mul-
 tis ieiunijs, & alijs rebus. Verè au-
 tem

tem pñ operibus caritatis & remissione iniuriarum. Postea hortatur à communione spiritus. Vnus est Christus, unum est Euangelion. Accepimus unum spiritum, uidelicet quòd sentiamus Deum nostrum Patrem esse, & nos filios eius propter Christum, & quòd uno spiritu adoptionis inuocemus Nomen Domini. Hæc communio spiritus debet nos excitare ad caritatem, quia si contendamus & dissentiamus inter nos, nō manet spiritus sanctus, sed dominatur spiritus Satane. Vbi enim est dissidium, ibi est dominium Satanæ. Postremo hortatur ab humano affectu misericordiæ, quem debemus habere erga captiuos. Paulus erat captiuus, & rogat Philippenses, ut sint unanimis, ac præstent ei hoc officium concordia, ut accipiat aliquod gaudium in captiuitate. Debent autē esse misericordes erga captiuos. Quare debent & Paulo hoc officium præstare.

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP:
NE QUID FIAT PER CONTEN-
TIONEM ET INANEM
GLORIAM, &c.

Hortatur Paulus Philippenses ad
concordiam & unanimitatem. Ostē-
dimus autem supra in quibus rebus
consistat unanimitas. Nunc Paulus
docet, quibus rebus conseruemus
concordiam, ut non demus occasio-
nem discordiæ. Primum, nihil, inquit,
fiat per contentionem. Solet aliquo-
ties fieri, ut necesse habeamus à pro-
ximis nostris dissentire, ut fit in con-
sultationibus, item in iëgitimis accu-
sationibus aut defensionibus. Quid
ergo hîc faciendum? Ne quid fiat per
contentionem. Vulgus solet aduer-
sarijs suis contumeliosissime contra-
dicere. Solēnia uerba sunt, Mentitur
ut nequam. Hoc est turpissimū. De-
bemus enim exponere sententiam
nostram sine contentione, sine alte-
rius contumelia, sed simpliciter &
bonis rationibus. Contentio enim
parit

parit discordiā, & est peccatum ad-
 uersus hanc legem: Diliges proximū
 tuum sicut teipsum. Et, Nō occidas.
 Deinde: Ne quid fiat per inanem glo-
 riam. Ambitio, arrogantia aut super *Arrogantia*
 bia parit etiam discordiam. Arrogan- *quid.*
 tia autem est fastidire proximum, ia-
 ctare suā nobilitatem, suas diuitias,
 suam prudentiam, ac præ illis donis
 alios contemnere. Hoc est peccatū
 aduersus dilectionem proximi, et pa-
 rit multa mala inter homines. Quid
 ergo faciēdum? Per humilitatem, in-
 quit, animi alium quisq; se præstan-
 tiorem existimet. Sectanda est uir-
 tus humilitatis, quæ in hoc consistit,
 ut alter alteri cedat, & alterum præ-
 stantiorē iudicet. Cauendum autē
 est, ne sit impia & stulta humilitas.
 Impia humilitas est, cū quis secta- *Humilitas*
 tur impietatem maiorum sine iudi- *impia.*
 cio. Et dicit se ideo hoc facere, quòd
 non uelit esse prudētior maioribus.
 Stulta humilitas est, si quis sciens pin-

IN CAP. I. EPIST. AD PHILIP.

*Humilitas
fructu.*

*Humilitas
vera.*

gere literas, uellet existimare ignarū
literarum, melius scire literas pinge-
re: aut si quis mediocriter prudens,
uellet hominem natura fatuum iudi-
care sapientior em. Vera autem hu-
militas est, partim si quis non arro-
gat sibi quę non habet aut nouit, par-
tim, si quis suo illustri dono seruit mi-
noribus. Vt agnoscamus nos pecca-
tores coram Deo, hæc est humilitas,
quia ueritas, non enim habemus na-
tura iusticiam. Item princeps seruit
sua potentia non tantum nobilibus,
sed etiam pastoribus. Item Christus
maior seruit discipulis minoribus.
Nam idcirco debet alter alterum se
præstantiorem sentire, ut seruiat ei.
Vulgus contra facit, unusquisq; iu-
dicat seipsum præstantiorem, & exi-
git ab omnibus seruitutem, cum ipse
nulli interim seruiat, nec ulli officia
sua præstet. Nota de Iohanne Epi-
scopo Alexandrino, quem uocant
Eleemosynarium. Is iubens paupe-
res

res uocare, dixit ad ministrum, Vo-
ca dominos meos. Existimauit enim
se necesse habere pauperibus serui-
re. Cui autem quis seruit, eum pro
domino habeat necesse est. Sic libe-
ri, domini sunt Patris, sic subditi sunt
domini magistratus, sic infirmi sunt
domini hominum sanorum. Addit
Paulus & aliud præceptum, ad con-
cordiam & unanimitatem perti-
nens: Ne sua quisque spectetis, sed
quæ sunt aliorum. Optimè hoc dici-
tur, sed pessimè obseruatur. Proxi-
mus, inquiunt, egomet sum mihi.
Quid ergo? Si necesse habent Chri-
stiani aliorum & non sua commoda
curare, quæ erit confusio rerum?
Num exigitur ut princeps tradat su-
um principatum alteri, & abeat ip-
se in eremum, nescio quomodo: num di-
ues necesse habet cedere bonis suis
uicino, & mendicare? Minime. De-
bet quidem unusquisque uocationi
Dei obedire. Si Deus eiciat principē

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

Proximi cō-
moda cura-
re quid.

ē regno, aut auocet diuitem à diuitiis
suis, obsequendum est Deo, sed sine
Dei uocatione, nec princeps nec di-
ues necesse habent suas maiestates
& diuitias alijs tradere. Quid ergo
est, Ne sua quisq; spectetis: hoc signi-
ficat, quòd unusquisque debeat suis
donis, suis officijs, seruire alijs, & nō
sua tantum commoda spectare, sed
etiam aliorū. Item quòd debeamus
iustē inter nos negociari, & nulli es-
se oneri quantum licet. Nam qui par-
tiret opes suas uel inter multos, uel
inter paucos, & interim cum familia
sua mendicaret, quid aliud faceret, q̃
q̃ nec sibi, nec alijs prodesset? Si em̃,
exēpli gratia, tria aut quatuor milia
aureorū distribueret in quatuor mi-
lia ciuū, tunc singulis ciuibz ce-
derent singuli tantum aurei. Quid
hoc magni? ipse autem interim neces-
se haberet alijs oneri esse. Si uerò u-
ni tantum daret omnes suas faculta-
tes, tunc unum tantum redderet di-
uitem,

uitem, interim autē multis obesset,
uidelicet familiæ suæ, & his quibus
necesse haberet postea propter mē-
dicitatem oneri esse. Quare procu-
rare aliorum commoda, non signifi-
cat eis tradere omnes tuas faculta-
tes, sed pro uirili succurrere inopiæ,
& officio tuo eos adiuuare, atq; iustē
cum ipsis negociari.

IS ENIM AFFECTVS SIT IN VO-
BIS, QVI FVIT ET IN
CHRISTO, &c.

Iussit Paulus Philippenses unani-
mes & humiles esse, ac nihil facere
contentiose ac ambitiose. Nunc ad-
dit causam huius uel iussionis uel ex-
hortationis. Idem, inquiens, affectus
debet in uobis esse, qui fuit in Chri-
sto. Nam Christus est caput nostrū,
nos membra eius. Debent autē mem-
bra sententiam capitis sectari. Item
Christus est Dominus noster, nos
autem serui Christi. Debet autē ser-
uus comparare se ad uolūtatem Do-

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

mini. Item Christus est seruator no-
 fter, Nos aut beneficio eius seruati.
 Debent autem hi qui beneficia acce-
 perunt, declarare sese gratos erga be-
 nefactores, & uirtutes eorum imita-
 ri. Item Christus propositus est in ex-
 emplum: debemus igitur exemplo
 eius obedire. Quis ergo aut qualis
 fuit affectus in Christo: Hic nunc ob-
 serua mihi pulcherrimam descriptionem
 Christi, quam Paulus hoc loco literis
 suis mandauit, quæ & diligentissime
 consideranda est. Vix enim tam pau-
 cis uerbis usque extat illustrior descri-
 ptio Christi. Dicit ergo: Qui cum es-
 set in forma Dei, non rapinam arbitra-
 tus est, &c. Videamus primum sen-
 tentiam huius descriptionis, deinde ex-
 cutiamus singulas particulas. Hac
 est autem sententia: Et si Christus est
 uerus Deus, æqualis Deo Patri suo
 in cœlesti dominatione, ex qua potu-
 isset nec hominem assumere, nec se
 in seruitutem coniungere, sed maiesta-
 tem

EXPLICAT. IOAN. BREN.

tem suam palam ostētare. Non enim rapuit maiestatem & dominationem diuinam, sed habet eam natura sua ab æterno: Ideo non necesse habuisset eam dissimulare, tamen maluit nostræ salutis gratia dominationem suam quodam modo, ut ita dicam, exuere, & tradere sese in seruitutem, ac assumere hominem, omnibus imbecillitatibus humanis obnoxium, tandem etiam subire turpissimam mortem, id quod fecit ut nos liberaret ab omnibus malis. Si ergo filius Dei non quæsiuit sua, sed quæ nostra sunt, certe exigitur etiā à nobis ut simus humiles, & quæramus alienas utilitates. Hec est sententia Pauli. Videamus nunc particulas descriptionis. Qui cum esset, inquit, in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse Deo equalis. Hic tribuit Paulus Christum tria. Vnū est, quod sit in forma Dei, hoc est, quod habeat formā, naturā & essentiam Dei, ac sit verus Deus. Vbi, *Christus in forma Dei*

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

est forma(hoc est) natura & essentia
 Dei, ibi certe est Deus ipse uerus. Ac
 res ipsa probat, Christum esse in for-
 ma Dei, hoc est, uerum esse Deum.
 Vicit enim mortē, resurrexit à mor-
 tuis sua uirtute. Hoc autem est soli-
 us Dei. Adhæc diuulgauit sua uirtu-
 te Euangelion in orbem terræ, & æ-
 didit nomine suo per Apostolos mi-
 racula, quod etiam est solius Dei. Cū
 igitur hæc perfecerit Christus suo
 nomine, sua uirtute, manifestum est,
 quòd sit uerus Deus. Alterum quòd
 sit Deo æqualis. Christus est Deus,
 & Deo æqualis, quomodo hæc con-
 ueniunt? Optimè. Vnus tantum est
 Deus, essentia, sed in hac una di-
 uina essentia, tres sunt distinctæ hy-
 postases, seu personæ. Inter has autē
 Christus est secunda persona. Ideo-
 que dicitur Deo æqualis, quia est se-
 cūda persona in una diuina essentia.
 Est enim æqualis Deo Patri in essen-
 tia, in maiestate, in omnipotentia, in
 domi

Christus
 Deo æqualis.

EXPLICAT. IOAN. BRENT.

dominatione. Tertium, quod hanc
æqualitatem Dei non rapuit. Non ra-
pinam, inquit, arbitratus est esse se
æqualem Deo, Sed habuit eam æqua-
litatem seu maiestatem natura sua
ab æterno, à patre suo. Satan uoluit
quondam rapere æqualitatem Dei,
sed deiectus est. Christus autem fili-
us Dei habet eam natura sua, ideoq;
nō necesse habuisset eam celare, di-
simulare & inanire. Nam quæ acqui-
runtur uel furto uel rapina, ea neces-
se est celare & abscondere. Quæ au-
tem acquiruntur iustè & legitime,
ea publicè usurpantur & ostentan-
tur. Cùm homines possident precio-
sam uestem aut donatam aut emptā,
tunc dicunt se eam gestare intrepide.
Nec rapui, inquiunt, nec furatus
sum eam. Sic & Christus non rapuit
nec prædatus est diuinam suam na-
turam, maiestatem & dominationē,
sed possedit eam natura sua ab æter-
no, hæreditate uidelicet, à Deo patre

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

suo. Quare non necesse habuit eam
 occultare, & tam humiliter in hunc
 mundum suscepta serui forma ueni-
 re, ac in rerum omnium egestate ui-
 tam ducere. Nihilominus tamen ina-
 niuit seipsum. Venit occultata aut
 dissimulata maiestate sua, suscepit
 hominem omnibus miseris obnox-
 ium, factus est infans, egēs, afflictus,
 & tandem crucifixus. Hoc exemplū
 diligenter in Christo considerandū
 est, ut nos etiā discamus esse humi-
 les, & nobis inuicem seruire, aut er-
 rata aliorū condonare. Est quispiā af-
 fectus iniuria aut dāno: Is posset ius
 suū persequi, & efficere ut is, qui in-
 iuriā aut damnum intulit, punire-
 tur, ac damnum compēfaret. Sed co-
 gitandum est exemplum Christi, qui
 & ipse nō est persecutus ius suū. Itē,
 Alter fuit alteri contumeliosus in fa-
 miliā eius. Posset aut uindictā ab eo
 sumere, sed cogitādum est exemplū
 Christi, qui summam habuit maiesta-
 tem,

EXPLICAT. IOAN. BRENT. 55

tem, & tamen non uoluit ea uti ad
perniciem hominum, sed potius inaniuit
se, ut homines seruaret.

*Persequemur & reliquas par-
ticulas.*

Sed, Inaniuit, inquit, semetipsum.
Quomodo ergo Christus inaniuit,
quomodo euacuauit sese? Nū sic se-
ipsum euacuauit seu uacuefecit, ut
assumendo hominem, non manserit
uerus Deus? Absit: semper enim su-
scepto homine uerus mansit Deus.
Sed inaniuit se, primum assumendo
hominem. Potuisset enim pro maiesta-
te & potētia sua hominem contēne-
re, & hominem oīno non assumere.
Non potuit cogi, ut indueret hoīem.
Nihilominus tamē maluit hominem
assumere, ut hominē liberaret, q̄ ho-
minem contemnere, & permittere,
ut homo interiret. Hæc est inanitio
seu humiliatio maiestatis diuinæ. De-
inde inaniuit sese assumpto iam ho-
mine. Quare cū sit uerus Deus,

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

& asumpserit hominem, potuisset statim ab ipsa natiuitate, non solum perfectus esse homo, sed etiā ostentare in hoc homine diuinam maiestatem, ut planē nullis aduersis fuisset obnoxius, sed tāta fuisset gloria, quā tam uel in transformatione eius, uel post resurrectionem suam habuit & ostendit. In Christo enim Deus et homo una est persona, attamē nec hoc fecit, sed inaniuit in assumpto homine suam maiestatem, & uoluit eum hominem, quem suscepit, esse obnoxium omnibus humanis miserijs & calamitatibus, prāter peccatum. Quod ut Paulus perspicuē explicet, tres addit particulas. Vna est, Forma serui sumpta. Filius enim Dei nō asumpsit simplicem hominem, sed hominem seruum. Inter homines nihil est abiectius seruo. Necesse habet seruus ex alieno arbitrio pendere, potestas uitæ & necis eius sita est in manu domini sui. Sic & Christus assum-

EXPLICAT. IOAN. BRENT. 75

assumpsit hominem seruum, non dominum, non liberum. Natus est in stabulo, Reclinatus in præsepi. Parētes eius obtulerunt ad redemptionem eius tantum par turturum. Fugerūt cum ipso in Aegyptum, educauerūt eum labore manuum suarum. Hæc omnia sunt seruilia. Adultus autem ipse nullam habuit dominationem, sed factus est aliorum hominum seruus. Peregrinatus est de ciuitate in ciuitatem, ut Euangelion adnunciaret, medicatus est hominum morbis, lauit discipulorum pedes. Hoc certe est seruum esse, non dominum. Altera particula est: In similitudine hominum constitutus. Filius Dei homo factus, potuisset cœlestibus tantum qualitatibus animi & corporis uti, uidelicet, ut animo nullam sensisset tristitiam, nullum timorem, nullū dolorem, & corpore nullum sensisset frigus, nullam famem, nullam sitim, nullam fatigationem. Potuisset

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

esse longe oim eloquentissimus, & superare eloquentia Demosthenem ac Platonem, sed uoluit propter salutem hominum similis esse hominibus, absque tamen peccato. Itaque esuriit, sitiit, sudauit, aluit, doluit, tristatus est, obnoxius fuit omnibus aduersis, adeoque ipsi morti. Eloquentia fuit mediocri, quantum satis fuit ad ministerium predicandi Euangelij, &c. Tertia particula, Figura repertus ut homo. Ut forma ad substantiam, similitudo ad qualitatem, ita figura ad quantitatem referenda est. Potuisset enim Christus figura sua corporali superare omnem giganteam molem, attamen suscepit tantum mediocre hominis staturam, & mediocre membris decentiam, qualis in mediocri uiro esse solet. Postremo, ut nihil in eo seruiliu rebus desideraretur, praeiuit se humilem, factus est Deo patri suo obediens usque ad mortem, eaque turpissimam. Potuisset magnus heros esse, sed abiectus esse

Christi obedientia.

esse uoluit. Potuisset oēs alios morti tradere, sed maluit ipse mortem subire. Potuisset honestā mortem in militia suscipere, sed maluit turpissimā subire, quia sic placuit patri suo, ut turpitudine mortis expiaret turpitudinem peccati. Erat enim peccatum expiandum, p̄ctū aut nō potest nisi supplicio expiari. Quare necesse fuit ut filius Dei susciperet miserum hominem, quo esset supplicio obnoxius. Si hoc fecit summa maiestas, debemus et nos nobis inuicem seruire, ut eodem affectu cum Christo præditi maiestate eius fruamur.

QVAPROPTER DEVS EXAL-
TAVIT ILLVM IN.)

Exposuit Paulus in quantam humilitatem demiserit sese filius Dei Iesus Christus. Nunc exponit, in quantam sublimitatem Deus Pater eum exaltauerit. Nam Christus etsi est natura et forma uerus Deus, tamen assumpsit hominem eumq̄ seruum, &

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

assumpsit omnes humanas imbecillitates, ac fuit obediens Deo patri usque ad turpissimam mortem. Quid ergo factum est? Num pater dereliquit filium suum in illa humilitate, in morte, in inferno, in sepulcro terræ? Nequaquam, sed quāto humilius se se deiecit, tanto sublimius exaltatus est. Primum enim, quia Christus descendit in infimas partes terræ, hoc est, factus est omnium abiectissimus, & non solum descendit in terram per sepulturam, sed etiam in infernum, susceptis doloribus inferni, quo nihil est inferius, idcirco Deus extulit illum non solum supra terram, & homines, ac omnia quæ in terra sunt, sed etiam super cælum, super angelos, & omnia quæ in cælis sunt. Ad Heb. dicit, Factus sublimior cælis. Deus enim posuit thronum Christi non inter angelos, sed super omnes creaturas in cælo & in terra, adeoque posuit thronum eius ad dextram suam: Sede, inquit,

quit, ad dextram meam. Et Ephe. iiii.
 Ascendit super omnes cœlos. Item
 Ephe. i. Sedere fecit eum ad dextrā
 suā in cœlestibus, supra omnem prin-
 cipatum ac potestatem, et uirtutem,
 & dominationem, & omne nomen
 quod nominat̃, &c. Quid ergo subli-
 mius Christo? In Esaia autem capite
 xxxxiij. dicit Dominus: Gloriam me-
 am alteri non dabo. Cū ergo Deus
 dederit Christo diuinitatis & maie-
 statis suæ gloriam, manifestum est, q̃
 Christus non sit tantum homo, sed
 etiam uerus Deus. Non enim potuis-
 set tantæ maiestatis capax esse, nisi
 uerus esset Deus. Deinde donauit il-
 li nomen, quod est super omne no-
 men, &c. hoc est, Deus ita exaltauit
 filium suum, ut omnia tam in cœlo,
 quàm in terra, & sub terra debeant
 eum agnoscere dominū suum. Subie-
 cit enim ei omnes creaturas, quocun-
 que nomine uocent̃. Cæterum cū
 dicitur, Donauit ei nomen, quod est

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

*Nomen Christi
sti quid.*

super omne nomen, non intelligendum est de externo aliquo cognomine uel Iesu uel Christi. Multi enim fuerunt, qui uocati sunt Iesus, ut Iosua filius Nun, Iesus filius Syrach, Iesus pontifex in Zacharia, &c. Multi etiam fuerunt, qui uocati sunt Christi. Saul dictus est Christus, similiter Cyrus Esa. xxxv. &c. Sed hoc loco nomen sumitur pro re ipsa, sicut alias saepe. Exempli gratia: Non est aliud nomen, in quo oporteat nos saluos fieri, hoc est, non est alia res, non est aliud quiddam, quo seruemur, praeter Christum. Item: Quicumque inuocauerit nomen Domini, hoc est, Dominum ac Deum ipsum, saluus erit. Et in Prouer. Nomen Domini turris fortissima. Hoc est, Dominus ac Deus ipse. Similiter Ephe. i. Fecit sedere eum supra omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro, &c. hoc est, supra omnem rem, quae est uel in hoc uel in altero seculo. Omnia

EXPLICAT. IOAN. BREN. 56

omnia igitur tam in cœlo, quam in terra & sub
terra debent subiecta esse Christo, quia
& ipse subiectus fuit omnibus. Cœ-
lestia afflixerunt eum, Sol retraxit lu-
men suum, æstus solis fuit ei molestus,
In terra homines multis malis affe-
runt eum, Fovea terræ detinuit eum
mortuum usque in tertium diem. Quid
dicam de Satana? hic movit omnem
lapidem, ut eum non solum affligeret,
verum etiam omnino perderet. Qua-
re Deus vicissim subiecit Christo o-
mnia, ut necesse habeant coram eo ge-
nua flectere, & ipsum Dominum suum a-
dorare. Quod autem Paulus ait: Vt in
nomine Iesu omne genu se flectat, &c.
non sic intelligendum est, quod necessa-
rium sit, ut prolato hoc nomine, homines
semper externa genua flectere debe-
ant. Hæc est quidem puerilis cerimo-
nia, & propter pueros usurpanda a-
liquoties, præsertim in conuentu Ec-
clesiæ, cum licet. Nec est intelligendum quod
cœlestia aut inferna habeant externa

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

& corporalia gēnua, quæ flectāt, sed
 hoc uocabulo exprimitur subiectio
 & adoratio. Flectere enim genua est
 sese alteri subijcere & eum adorare.
 Dedit ergo Deus pater hanc maiestatem
 unigenito filio suo, quòd omnes
 res cœlestes, terrestres & infer-
 nę debeant ipsi subijci & eum adora-
 re, & quòd omnes linguæ tam ange-
 lorum, ut ita dicam, quàm hominū,
 debeant Iesum cōfiteri uerum Chri-
 stum & Dñm, ut Deus Pater per ip-
 sum glorificet. Qui enim honorat fili-
 um, honorat & Patrem. Quid ergo
 est, inquis, q̃ non omnia adorāt Chri-
 stum & subijciuntur ei? Vide quot
 sunt Iudæi, quot Turcæ, quot inter
 Christianos, qui contemnunt ac etiā
 blasphemias afficiunt Christum. Si
 Christus est positus in thronū Dei,
 & uidet ac audit omnes impiorum
 blasphemias, quomodo potest tace-
 re? quomodo tolerare? Cur non pro-
 ſicit ignes & fulmina in contempto-
 res,

res, quo cæteri haberent timorem? Hoc certe faceret, si tam carnalis & præcipitis esset iræ, quàm nos homines esse solemus. Nunc autem conniuet suo quodam consilio ad blasphemias & contumelias impiorum. Primum quia omnes uirtutes sunt perfectissimæ in Christo. Tolerantia autem & patientia sunt inter præcipuas uirtutes. Quare patiens est & tolerans, ut cognoscamus etiã has uirtutes in Christo perfectas esse. Patiens autem est, ut mali & impij habeant spacium pœnitentiæ, Rom. ij. & ij. Pet. iij. Deinde Christus conniuet, quia nondum est tempus nouissimi diei. Statuit enim tēpus publici et generalis iudicij, quo reuelaturus est maiestatem suam. Suffert ergo interea blasphemias patienter, donec legitimum tempus adueniat. Et tñ manifestis argumētis declarauit ac comprobauit, se elatum esse in tantam maiestatem, quantam Paulus ei tribuit.

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

Declarauit enim id resurrectione à mortuis, emissionem spiritus sancti, diuulgatione Euangelij sui in orbem terrarum, & defensione Ecclesiae. Nisi enim inter tot odia & persecutiones Iudaeorum & Gentium cōseruasset Ecclesiam suam & adhuc conseruaret, iam dudum perisset Ecclesia. Cū autem cōseruetur inter medias persecutiones, manifestum argumentū est, Christum sedere ad dextrā Dei, & regnare in cōelo & in terra.

PROINDE DILECTI MEI
QVEMADMODVM.)

Concludit Paulus cōciunculam, quam habuit de humiliatione & exaltatione Christi, & accommodat hanc ad usum. Affecti, inquit, debemus esse, sicut Christus, q̄ cū esset in forma Dei, humiliavit se, & obediuit uoluntati Patris sui, ideoq; exaltatus est. Quare debemus & nos humiliari, nostro iuri libēter cedere, ut obediamus uoluntati Dei, & mutuā serue-

mus

mus pacem. Vulgaris uidet̃ hac doctrina, & tritissima, sed est ualde necessaria, non ad conseruandam tantum tranquillitatem inter homines, sed etiam ad retinēda beneficia Dei in Christo. Maximus est hominū error, quòd existiment se debere omnia summo iure aduersus proximū persequi. Et si quid remiserint, putāt summum esse damnum. Quare Paulus proponit exemplum Christi, ut hunc errorem excutiamus. Primum enim Christus est Dominus noster, nos serui eius. Dominus autē humiliuit se, celsit suo iuri, ut pacem faceret inter Deum & homines, et ut uolūtati Dei obediret. Quare debemus nos exemplum Domini sectari. Seruus enim non est maior domino suo. Deinde, si quid ad obediendum Deo, & ad conseruandam pacem, remiserimus, non est damnum, sed lucrum. Christus enim, cū humiliasset se usque ad mortem crucis,

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

non perijt, sed exaltatus est in sum-
mam maiestatem. Sicut ergo Chri-
sto optimè cessit humiliatio, ita etiā
optimè cedit hominibus, si quid re-
miserint de suo iure propter Deum
seu uocationē Dei. Quid igitur nul-
li ne licet publico iudicio causam suā
agere? Nihil hīc loquimur de publi-
cis magistratuum ordinationibus,
quæ sunt diuinæ, quibus uti potest
qui necesse habet uti, sed loquimur
de priuatis hominum affectibus &
contentionibus. Nam siue quis pu-
blico iudicio, siue priuata transactio-
ne, cum proximo contenderit, sem-
per hoc præstandum est, ut seruetur
candidus animus, ut non cupiat pro-
ximo nocere, ut sine contumelia ius
suum exponat, & ut obedienter su-
scipiat, quicquid iudices aut pacifica-
tores pronunciauerint. Huc enim
pertinet, quod Christus ait: Dic Ec-
clesiæ: Amen dico tibi, quodcunque
ligaueritis in terris, erit ligatū in cœ-
lis,

EXPLICAT. IOAN. BREN. 59

lis, & quodcunq; solueritis in terra,
erit solutum in cœlis, Matth. xviij.

NON TANQVAM IN PRÆ-
SENTIA SOLVM, &c.

Apparet ex his uerbis Philippen-
ses, cum Paulus adhuc cum ipsis es-
set, tranquillos fuisse. Postquam au-
tē discessit, sediciosos inter se factos
esse, ac contendisse ipsos de præstan-
tia & excellentia dignitatis propter
dona Dei. Monet igitur Paulus eos,
ut & in absentia eius sint tranquilli.
Ex hoc loco uidemus, quantum Dei
beneficium sit, tam in Repub. ciuili,
quàm in Ecclesia, unus homo auto-
ritate præstans. Experientia enim co-
gnitum est, quòd Deus concessurus
uel regnis terræ, uel Ecclesiæ tran-
quillitatem, eligit heroës, quorum
autoritate & potentia reliqui in offi-
cio contineantur. Nam ubi æqualis
est potentia, dignitas et autoritas, ibi
rarissimè constat cōcordia. Post Per-
fici regni diminutionem, multa erāt

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

bella, multæ mactatiões in terra. Excitatur ergo Alexāder Macedo, qui orbem redderet tranquillum. Post Alexandrum, cū Reguli & Principes æqualis essent potentia, creberrimæ erant seditiões, bella, cædes, ut eo tempore orbis non fuerit nisi laëna, donec excitarentur Romani, qui orbem redderent tranquillum. Quod de tota terra dictum est, intelligendum erit de una urbe, in qua si omnes senatores uolunt esse æqualiter digni & sapientes, fiunt inter se discordes. Excitatur ergo unus aut alter autoritate præstans, quem alij admirentur, & qui seditiosos compescere queat. Sic in Ecclesia Paulus erat autoritate excellens. Vbi ergo ipse erat, ibi erat & pax. Vbi autem aberat, ibi oriebantur discordia & rixæ. Monet igitur Paulus, ut Philippenses non solum in præsentia, sed etiam in absentia sua sint tranquilli. Etsi enim Paulus absens est, Deus tamen
est

EXPLICAT. IOAN. BREN. 60

est præsens, quem omnes uereri &
timere debent. Vnde additur:

CVM TIMORE ET TREMORE VE
STRAM IPSORVM SALVTEM
OPEREMINI.

Hoc est, Etiam si ego non sum
præsens uobiscum, filius tamen
Dei, qui est ad dextram Patris, co-
ram quo omnia genua flectenda
sunt, semper uobiscum præsens est.
Hunc debetis timere, hunc expa-
uescere & tremere, ne quid turpe
aut indignum coram tanta maiesta-
te faciatis. Nihil posset nobis tam u-
tile esse ad excitandam in nobis pie-
tatem, quam si semper cogitaremus
nos stare coram illustri illa maiestate
Christi, qua est præditus in cœlo &
in terra, & quæ semper inuisibiliter
præsens est. Monere solemus stu-
diosos piæ doctrinæ, ut singulis die-
bus mane recitent symbolum Apo-
stolicum. An existimatis quòd hoc
idcirco fiat, quia Deus delectetur ista

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

uerborum recitatione? aut quia hac commemoratione ineamus aliquam gratiam apud Deum propter uerba ipsa? Profecto ob hanc causam fit, ut hac commemoratione admoneatur unusquisque seipsum de immensa illa & semper praesenti maiestate Dei patris, filij & spiritus sancti, quo concipiamus fidem, timeamus peccare, colamus tantam maiestatem, & obediamus uocationi eius. Dicimus: Creatorem coeli & terre omnipotentem. Item: Sedet ad dextram patris. His uerbis ponitur nobis ob oculos maiestas Dei alioqui inuisibilis, ut timeamus & contremiscamus. Contremiscere autem debemus, non ut despiremus de salute, sed ut caueamus peccata, sicut filius solet timere & expauescere patrem.

NAM DEVS EST QUI AGIT

IN VOBIS, &c.

Paulus iussit Philippenses, siue praesens fuerit, siue absens, uerbo

bo Domini obedire, & exemplum Christi sequi, ut sint unanimes, & unusquisque querat alterius utilitatem. Posset ergo quispiam obijcere: Quid tu hortaris nos ad obedientiam Dei, & ad mutuam caritatem, cum tamē scias hominem peccato ita obrutum esse, ut non possit aliquid boni facere, aut etiam cogitare? Non sumus (inquit aliās) idonei ex nobis ipsis cogitare quicquam. Ad hoc respondet Paulus dicēs: Deus est qui agit in uobis & uelle & perficere supra uoluntatem seu animi propositum. Est & hæc una ex præcipuis gnomis huius Epistolæ. Quare diligenter consyderanda. Ac initio, quod ad naturales hominis uires attinet, homo potest ciuilitate bona cogitare, & perficere, suapte natura, quā habet ex diuina creatione. Cognoscit enim quod sit Deus, & quod nulli hominum sit nocendum, quod non sit furandum, quod non sit adulterium committendum,

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

hæc ut cogitare, ita etiã ciuilitè per-
ficere potest. Nec ullus habet excusa-
tionem, Natura cõceptus sum in pec-
catis, ergo non possum me abstinere
à furto aut adulterio. Sed hæ natura-
les cogitationes & operationes duo
habēt uitia seu defectus. Alterum ui-
tium est, quòd non satisfaciunt legi
Dei, nec sint perfecta iusticia coram
Deo. Alterum est, quòd inualescēte
Satana, ne hæ quidem cogitationes
in homine constant, ac perdurant, ut
probant exempla Neronis, Caligu-
læ & aliorum monstrorum. Quid er-
go aduersus hæc uitia faciēdum est?
Non est consistendum intra naturæ
uitres, sed festinandū est ad Deū per
Christum filium suum. Deus enim is
est, qui agit primum, ut uelimus bo-
num quod Deo placet: deinde ut eti-
am perficiamus, non quidem omni-
no perfectè in hac carne, sed tamen
ultra propositum nostrum, hoc est,
plus q̃ unquàm cogitauerimus, &
animo

animo proposuerimus. Nam ubi uulgata lectio habet pro bona uoluntate, legendum est, ultra bonam uoluntatem seu propositum, hoc est, plus quam ante propositum fuit in animo. Similes locutiones sunt i. Cor. x. & Eph. iij. Exempli gratia. Abraham fuit uir sanctus, & tamen priusquam iussisset Deus ipsum offerre filium suum, nunquam cogitauit se posse uelle & perficere, ut mactaret filiū. At postquam Deus hoc ei mandauit additis promissionibus, tunc primum egit in eo Velle, deinde etiam perficere, plus quam animo sperauerat. Nunquam enim antea cogitauit se posse cum filio proficisci ad locum mactationis, & educere gladium ad occidendū ipsum. Sic & de Mose dicendum est. Moses nō potuit secum cogitare, quōd liberaturus esset Israel ex Aegypto. Vidit hoc omnino esse impossibile. Postquam autem Deus mādauit ei reditū in Aegyptū,

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

primum egit in eo Velle, etiā si Mo-
ses hanc uocationem multis modis
detrectaret: deinde egit in eo perfice-
re, plusquā ipse sperauerat. Vide
& Paulum: Is nunquā potuit sibi
in animum inducere, priusquā con-
uersus esset ad Christianismum, ut
Ecclesiam iuuaret, sed postquā uo-
catus est diuinitus, egit in eo Deus
primum Velle, deinde plus perfice-
re, quā Paulus ipse cogitasset. Hec
idcirco nobis cognoscenda propo-
nuntur, ut initio discamus uolunta-
tem & perfectionem boni operis nō
nostris uiribus, sed tantum clemen-
tiæ Dei adscribere: deinde ut uocati
diuinitus ad aliquam functionem au-
xilium Dei inuocemus, à quo solo
est Velle & perficere. Postremo ut
diuinis uocationibus nō abutamur,
sed ambulemus in ijs obedientes, ne
auferatur à nobis Velle et perficere.
Samson abutebatur uocatione sua,
ideo auferebat ab eo perficere, Sed
postea

postea tamen resipuit. Saul abutebatur sua uocatione, ideoque ablatum est ei perficere, & perijt. Quid ergo est, quod aliàs Paulus ait: Velle mihi adest, perficere autem non inuenio: Respondeo: Perficere totam iusticiam non est in homine, Sed perficere quantum in hac carne possibile est, datur per spiritum sanctum, de qua perfectione Paulus hic in Philippensibus loquitur.

OMNIA FACITE SINE MVR
MVRATIONIBVS.)

Paulus dedit praecepta de mutua concordia & unanimitate. Nunc addit praeceptum quod & ipsum pertinet ad seruandam concordiam, & est cuius obseruatione fit, ut etiam concordia obseruetur. Omnia, inquiēs, facite sine murmurationibus & disceptationibus, hoc est, nolite inter uos mutuo sic duriter & moleste ac contentiose loqui, quemadmodum porci inter se grunniunt. Primum enim

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

talís gongysmus seu grunnitus argu-
mentum est malæ educationis. Nam
ubi est disciplina honesta, ibi homi-
nes beneuolēter seinuicem alloquū-
tur. Et retinetur hæc modestia inter
inimicos, si modo honeste fuerint e-
ducati. Deinde gongysmus indicium
est animi impatientis & uirulentitæ
coram Deo, quàm coram hominibus.
Impatientia autem peccatū est. Præ-
terea gongysmus est occasio multo-
rum malorum. Quare merito debēt
pij ab hoc uitio cauere.

TALIS UT NEMO DE VO-
BIS QUERIPOSSIT, &c.

*Viuedi regu
la generalis.* Generalis doctrina, & omnia ge-
nera externæ uitæ inter pios conti-
nēs. Quid multa? inquit, Tribus aut
quatuor uerbis describā uobis, qua-
lem debeatís uitam in hoc mūdo du-
cere. Primum sic uiuatis, ut nemo
possit de uobis queri: sitis inculpati,
In quacunque repub. duxeritis uitā,
obseruate ciuiles leges illius reipub.
Non

Non peccetis aduersus publicas & politicas leges. Date censum, tributum, & quicquid iuxta publicam ordinationem debueritis. Christus enim non fecit suos Christianos ita liberos, ut non debeant parere publicis legibus, sed potius ut debeant omni humanæ ordinationi obsequi. Deinde, Sitis synceri, hoc est, innocētes, Nulli hominum noceatis, sed potius beneficiatis, tã amico quàm inimico. Esse autem innocentem, aut nulli nocere, late patet. Continet enim in se hæc præcepta, Nō occidas, Non fureris, Non committas adulterium, Non dicas falsum testimonium, Non concupiscas rem alienam, &c. Adhæc, Sitis ut filij Dei irreprehensibiles. Non sufficit ut ducatis uitam, qualem ducunt honesti ciues huius mundi, sed qualem decet filios Dei, & hæredes cœli. Nam in Baptismo adoptati sumus in filios Dei, & ciues cœlestes, Debemus

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

igitur uitam ducere sicut decet filios
 Dei & ciues cœlestes irreprehen-
 sibilem. Nemo quidem cauere potest,
 ne homines male loquantur de ipso,
 sed cauendum est, ne possint uere
 de nobis male loqui, quia sumus filij
 Dei. Turpissimum est, si quis ex no-
 bilibus ostendet stemmata sua publi-
 cè, & interim ducat inhonestam,
 fœdam & omnibus uicijs contami-
 natam uitam. Sic et turpissimum est,
 gestare sigillum filiorum Dei, & ta-
 men interim uiuere sicut solent filij
 Satanæ. Nec absq; ratione, tam incul-
 pata & irreprehensibilis uita ducen-
 da est, quia uos cùm habeatis sermo-
 nem uitæ, qui est Euangelion, luce-
 tis in medio nationis prauæ & tor-
 tuosæ, tanquàm duo luminaria, Sol
 & Luna, in mundo. Hic obserua qua-
 lis sit fortuna Ecclesiæ Christi in hoc
 mûdo. Nam Ecclesia Christi nō con-
 gregatur in unum locum in his ter-
 ris, sed dispersa est inter omnes gen-
 tes,

tes, & necesse habet uiuere inter nationes prauas & tortuosas. Mitto uos, inquit, sicut oues in medio luporum. Quare multa aduersa ferenda sunt. Deinde etsi ueri pñ sæpenumero sunt contemptissimi, tamē si quis rectē iudicauerit, sunt ueluti lumina coram Deo & hominibus. Corā Deo, quia Deus propter pios benefacit mundo & conseruat mundum. Pñ lucent in oculis Dei. Oculi Domini super iustos. Nulla res pub. constaret, si non esset Ecclesia in terris coram Deo lucēs. Coram hominibus, quia si quis gloriatur de cognitione Dei ac Euangelij eius, etsi aliās contemnitur, tamen uita eius diligenter obseruatur. Si paululum errat, tunc omnes clamant: Est ne hoc Euangelicum. Sicut eclipses solis & lune magis obseruabiles sunt, quā occultationes aliarum stellarum, ita si quis impius impiē agit, paucissimi obseruant, & de eo conqueruntur. Si autē

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

quispiam, qui gloriatur de Euangelio, leuiter tantum peccauerit, mirū, quanta conuicia, quantæ contumeliæ in eum, imo & in Deum, quem profitetur, proficiuntur.

VT GLORIARI POSSIM IN
DIEM CHRISTI.)

Monuit Paulus Philippenses, ut ducant uitam irreprehensibilem, sicut decet filios Dei. Nunc addit causam cur tã opere cupiat, ut ipsi piã uitã ducant. Vt gloriari, inquit, possim in diẽ Christi, q̃ nō in uanum currerim aut laborauerim. Hoc dictū Pauli non est oscitanter confyderandū. Nam præter generalia præcepta Dei, unusquisq; priuatim suã habet uocationẽ. Et tñ homines solent in uocatione diuina segnes admodū & ignaui esse, præcipue propter duas causas: Altera est, quia iustitia uite non habet foelicem successum in hoc mundo. Rectẽ facientes sunt in hoc mundo infœlices. Altera est, quia iustitia

stitia nostra nullum habet meritū co-
 ram Deo. Offenduntur ergo homi-
 nes & cogitāt: Quid diligenter face-
 res bona, cū videas iustitiā esse in-
 fœlicē, & audias eā nullius esse me-
 riti coram Deo: Sed Paulus uno &
 altero uerbo corrigit hīc ignauā no-
 stram, ac docet etiam nos rectē senti-
 re de iustitia operū nostrorū. Vt glo-
 riari, inquit, possim in diem Christi.
 Primum cū ait: In diem Christi, sig-
 nificat q̄ et si iustitia operū nostrorū
 sit infœlix in hoc mundo, tamen non
 est infœlix in diē, in aduentu Christi
 in nouissimo diē. Multa quidem co-
 mitia celebrātur in terris, multę diē-
 tæ sunt, in quibus sperant homines
 publicam reformationem, ut iustitia
 promoueat, et iniustitia impediatur.
 Videmus autem q̄ hominum diētis
 res subinde peiores fiāt. Quare Chri-
 stus statuit generalia comitia, gene-
 ralem diētam, in qua omnia est refor-
 maturus. Ad hanc diētam est appel-

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

landū, cū iusticia est infœlix in hoc mundo. Sed hæc, inquis, nimis diu differtur. Non certe diutius, quàm Deo uisum est. Omnia suum habent tempus. Agricola necesse habet expectare tempus messis: Vide autē quātos interim labores & infœlicitates sustineat. Non enim continuo, ut facit sementem, percipit fructum, sed sementis obruitur terra, postea ager niuibus opplet, aliquoties grano minatur malum, & quicquid egerit, necesse tamen habet expectare donec ueniat messis. Nostræ autem messis tempus est Dies Christi, quæ admodum Prophetæ & Apostoli clare docuerūt. Quare etsi interea temporis iusticia est infœlix, tamē in die Christi erit fœlicissima. Nam quod uideatur nobis tempus nimis longū esse, nostra culpa, nostrum uitiū est. Aut enim non credimus hunc diem aliquando futurum, aut non diligenter cogitamus de beneficio, quod nobis

bis in hoc die propter Christum con-
 tinget. Accedit huc, quòd dies Chri-
 sti nulla integra hora differatur post
 corporalem uitā hominis. Etsi enim
 hoc tempus, quo uiuimus, uidetur
 nobis longum, tamen his qui dormi-
 unt in Christo, mille anni sunt sicut
 unus dies aut una hora. Computa
 nunc ad diem mortis tuæ, & quot
 annos inueneris, tot sunt usq; ad diē
 Christi. Nam intra mortem tuam &
 generalem diem Christi, nullum ui-
 detur mortuis ne momentū quidem
 interesse. Quare si longum apparet
 tempus, nostra est culpa, nō Dei. De
 inde quòd dicit, Vt gloriari possim,
 ostendit bona opera suā habere glo-
 riationem, suā laudem coram Deo.
 Etsi enim non expiant peccata, nec
 merentur æternam fœlicitatem, ta-
 men habent suā commendationem,
 & sua quædam merita. Nam si non
 peccauerimus, sed ambulauerimus
 in bonis operibus, tunc manemus in

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

Christo, et laudabimur in die Christi
 coram uniuersa creatura, Matt. xxv.
 Esuriui, & dedistis mihi edere, &c.
 Hæc opera commendabit Christus
 in pijs coram omnibus angelis & ho-
 minibus, corā cœlo & terra. An non
 hæc erit magna laus? Quare ambulā-
 dum est in bonis operibus, ut conse-
 quamur talem gloriam in cœlo. Sed
 quid, inquires, Si labor noster in ter-
 ris fuit irritus? Exempli gratia. Si Phi-
 lippenſes defecissent à Pauli doctri-
 na, num Paulus inuanū laborasset?
 sicut defecit ab ea tota Asia, ij. Timo.
 i. Respondeo: Paulus inuanum qui-
 dem laborauit, si respicias eos, qui de-
 fecerunt à doctrina eius, sed non in-
 uanum laborauit sibi & suæ salutis.
 Reportauit ipse suam mercedem, e-
 tiam si illi Christum abnegârunt. Sic
 & paterfamilias reportat suam mer-
 cedem, si familiam rectè & piè edu-
 cauerit, etiam si familia deficiat ad im-
 pietatem, iuxta illud Ezechielis: Tu
 tuam

EXPLICAT. IOAN. BREN. 68

tuam animam liberaſti, &c.

QVIN ETIAM SI IMMOLOR
SVPER HOSTIA ET
SACRIFICIO, &c.

Nullum acceptius ſacrificium in
terris fuit Deo, præterquàm ſacrifi-
cium Chriſti filij ſui. Et quia creden-
tes in Chriſtum ſiūt participes Chri-
ſti, ideo & ipſi dicuntur hoſtia & ſa-
crificiū. Et Apoſtoli, qui prædicatio-
ne ſua uocant gentes ad fidem, dicū-
tur ſacrificare gentes. Porro in quo-
uis ſacrificio fuerunt ſuæ immola-
tiones farinæ & libamina vini, quæ
admodum eſt in Leuitico. Paulus igi-
tur dicit ſe gaudere, quòd morte ſua
ſit immolatio ſuper hoſtia fidei Phi-
lippenſium, quia Philippenſes ſunt
ſacrificium. Mors autem Pauli eſt im-
molatio ſeu condimentum huius ſa-
crificij, propterea q̃ morte ſua Phi-
lippēſes confirmantur in fide Euan-
gelij. Obſerua autem, quòd Pau-

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

lus uocet mortem suam, immolationem. Vbi hoc cognomen inuenitur? Certe in morte Christi. Cùm enim mors Christi fuerit immolatio Deo grata, fit ut mors omniũ piorum sit Deo grata immolatio propter Christum. Quare si mortem sic in Christo considerauerimus, nõ erit nobis grauis & molesta.

SPERO AVTEM IN DOMINO IESV,
ME TIMOTHEVM BRE-
V. I. MISSVRVM, &c.

Diximus ab initio huius Epistolæ, quòd Paulus non tractet unum tantum argumentum in hac Epistola, quemadmodum in maiori parte Epistolæ ad Romanos & Galatas. Sed tractat uaria argumenta. Et si enim spargit hinc inde semina præcipuæ partis doctrinæ Christianæ de iustificatione fidei, tamen Epistola magis est familiaris & monitoria, quàm didactica. Ac antè hortatus est Philipenses ad constantiam in fide Euangelij,

gelij, & ad mutuam caritatem atq; concordiam: Nunc significat se missurum ad ipsos Timotheum & Epaphroditum, ut per hos cognoscant, quanta sollicitudine curam eorum gerat, & vicissim cognoscat, quo in statu sint ipsorum res. Atq; hanc quidem causam prætexit, Sed maxime omnium mittit eos, ut cōseruent Ecclesiā Philippensium in uera doctrina. Dicemus ergo primum de Timotheo. Nam cū Paulus hunc se missurum significat, diligenter commendat eum, & laudat uirtutes eius, idq; facit hoc consilio, ut Philippenses doctrinam eius obedienter suscipiant, & eum agnoscant, pro Paulo, cōcionatorem Euangelij. Ac initio uide quāta Pauli sit cura p Ecclesia Christi, etiam in uinculis suis. Captiuus tenebatur, & necesse habebat quouis momento supplicium mortis expectare, & tamen hoc præcipue agit, hoc unum curat, ut Euāgelion in Ec

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

clesia Christi rectè & piè doceatur.
Hoc est gaudium, hæc est consolatio
Pauli in uinculis suis. Obseruabile ex
emplum, quod principes, magistra-
tus & priuati quicq; imitari pro uirili
& uocatione sua deberent. Principū
officium est, ut hostes Ecclesiæ com-
pescant, & omnem operā dent, quo
in Ecclesia uera doctrina conserue-
tur. Priuatorum officium est, ut suo
quisque studio adiuuet Euangelij
profectum. Nam si recta doctrina
in Ecclesia constiterit, omnia reli-
qua salua sunt, etiam si uarijs afflictio-
nibus uexemur. Si autem non fue-
rit sana doctrina Euangelij, omnia re-
liqua aduersa sunt, & perniciofa, eti-
am si foelicitissime in hoc seculo uiua-
mus. Deinde Paulus etsi nunc aliud
agit, tamen uno uerbo tribuit Chri-
sto diuinam naturam & maiestatem,
cū ait: Spero in Domino Iesu. Non
enim sperandum, non confidendum
est, nisi in Deum. Paulus autem spe-
rat

rat in Iesum. Iesus igitur uerus est Deus. Adhæc administratio omnium rerum non pertinet nisi ad Deum. Paulus autem tribuit Iesu omnium rerum administrationem, cum ait, Se sperare quod Iesus sit effecturus aut concessurus, ut mittat Timotheum. Quare perspicue indicat Iesum esse uerum Deum. Sed nunc uideamus à quibus uirtutibus commendet Timotheum: Neminem, inquit, habeo, qui pariano animo, &c. Et mox, Omnes querunt quæ sua sunt, &c. Ac rursus: Probationem eius nostis, quod ut filius, &c. Commendat Paulus Timotheum à duabus clarissimis uirtutibus. Altera est, quod Timotheus non deseruerit Paulum præceptorem ac amicum suum in summis necessitatibus. Vnde uocat eum *ὁμόλογον*, eiusdem animi & sententiæ: & ἱ. Timoth. iij. significat etiam, quod cum reliqui omnes deseruerint ipsum, speret se ab ipso non deserendum.

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

Hæc est optima quidem uirtus, sed rarissima inter homines. Nam homines solent esse amici foeliciū, quia sperant aliquam utilitatem ex ipsis. Deserunt autem infoelices, quia non uident ullum emolumentū, quod ex infoelicibus cōsequi possint. Hoc est magnum scelus, quia Deus dixit: Diliges proximum tuū sicut teipsum, & maximè omniū respexit ad infoelicitatem proximi, ut adiuuemus eū, sicut petimus nos in infoelicitate adiuuari. Qui autem tūc deserit amicum seu proximum, ex diametro pugnat cum dilectione. Quare planè exiit hominem, ac talis homo ne inter porcos quidem locum habere debet, quippe quod porci si audierint porcum grunnientem et periclitantem, solent accurrere & significare se adiuturos. Præterea, quemadmodum talis deserit suos amicos in necessitate, ita uicissim deseritur in sua necessitate à Deo ipso. Iuxta illud: Quamensura

EXPLICAT. IOAN. BRENT. 2

mensura, etc. Et: Qui obturat aures
ad clamorem pauperis, clamabit &
ipse, nec exaudietur. Sed cū uidea-
mus homines ita affectos, ut deserāt
amicos in necessitate, quid faciendū
est? Manendum est in uocatione Dei,
nec est propter homines malefacien-
dum. Danda est opera, ut Deus sit
propicius & amicus. Quare si peri-
culum imminet, etiā si deserāt nos
amici, iuuabunt tamen nos alieni. Si
nec illi, certe non deseret nos Domi-
nus noster. Altera uirtus Timothei
fuit, quod non curauerit quæ sua, sed
quæ sunt Iesu Christi. Nam aliqui co-
mites Pauli adhæserunt ei, cū ad-
huc foelix esset, & liber ambularet,
prædicauerunt etiā Euangelion
Christi, cū adhuc securum esset.
Sed postquā Paulus uinctus fuit,
& prædicatio Euangelij constitit pe-
riculo uitæ, abiecerūt professionem
Euangelij, ac sectati sunt lucra huius
seculi. Hoc factum etiā est nostris

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

temporibus. Paulò antè cùm glorio-
 sum erat esse sacrificulum, magna
 hominum pars ad Ecclesiastica officia.
 Mox cùm reuelato Euangelio, diri-
 piebantur opes Ecclesiasticæ, & mi-
 nisterium Euangelij constabat peri-
 culo uitæ, paucissimi dabant operam
 literis ad suscipiendas functiones Ec-
 clesiasticas. Et in uulgo, Multi sectan-
 tur Euangelij confessionem, cùm E-
 uangelion est foelix, at si fuerit infœ-
 lix, tunc maxima pars quærit, quæ
 sua sunt, non quæ Iesu Christi. Ma-
 gna hæc est non inconstantia tantum,
 sed etiam impietas & summa perni-
 cies. Nam homo natura sua studio-
 sus est commodi & lucrisui. Hoc au-
 tem non est uerè quærere, quæ sua
 sunt, si quis contempto aut neglecto
 Christo sua agit ciuilia negocia, Sed
 si primum omnium studiosus fuerit
 gloriæ Christi. Nam homo ad hoc
 creatus & uocatus est, ut querat De-
 um

um per Christum filium suum: Act. xvij. Præfiniūt præstituta tēpora, præfixitq; terminos habitatiōis eorū, ut quærerēt Deū, &c. Vides nos in hoc creatos & in terram ordinatos esse, ut quæramus Deum, id quod fit per Christum filium Dei. Quare qui cōtēpto aut neglecto Christo sua agit negotia, is in tm̄ non curat quæ sua sunt, ut etiam sua omnia commoda & lucra amittat, & cōijciat se in perpetuam perniciem.

SED OPERA PRECIVM ARBITRARIJS SVM EPAPHRODITVM, etc.

Paulus commendauit ante Timotheum, nunc commendat Epaphroditum. Sequitur ergo legenda, ut uocāt, Epaphroditi, quem Paulus cum hac Epistola ad Philippēses remisit. Res autem sic se habet: Epaphroditus fuit concionator Euangelij apud Philippenses, id quod ex eo manifestum est, q̄ Paulus uocat eum fratrē & collegam suū, & Anostolū Philip

Epaphroditus Philippēsum concionator.

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

pensum. Cùm autem Philippenses
 audiissent Paulum Romæ captiuū
 detineri, miserunt ad eum Epaphro-
 ditum, qui nomine totius Ecclesiæ
 Philippensium Paulū in uinculis in-
 uiseret, ac deferret ei munera à Phi-
 lippensibus, quibus muneribus te-
 stabantur suam erga Paulum grati-
 tudinem. Postquàm ergo Epaphro-
 ditus Romam peruenit, obtulit Pau-
 lo munera & pecuniā Philippensi-
 um, & ministrauit Paulo in uinculis.
 Interea autem temporis correptus
 fuit periculosa corporis ægritudine,
 ut penè de uita eius desperaretur.
 Sed conualuit iterum Dei misericor-
 dia. Quare Paulus remittit eum ad
 Philippenses cū hac Epistola, & hor-
 tatur eos, ut excipiant et tractent eū
 omni studio & honore. Hæc est le-
 genda, ut uocāt, Epaphroditi, quam
 Paulus hoc loco descripsit: In qua
 multa ueniunt obseruanda. Etsi hæc
 uidentur minutiora, quàm ut de ipsis
 tanta

tanta pōpā in Ecclesia prædicari de-
 beat. Quid enim illud tam excellens
 est? Vnus erat Paulus captivus. V-
 nus Epaphroditus, uir coram mun-
 do non magnæ reputationis. Et Ec-
 clesia Philippenſium ex paucis abie-
 ctis ciuibus collecta erat. Propter
 hos ne algeremus in templo, ut legē
 dam eorum audiamus? Sed hæc quā-
 tumcunq; tibi abiecta & humilia ui-
 dentur, debent nobis commendatio
 ra eſſe, quā frequentia illa comitia
 Principum, & expeditiones magno-
 rum Regum. Nam multo plus utili-
 tatis poſſumus conſequi ex illis no-
 ſtris minutarum rerum, ut uidetur,
 narrationibus, quā ex commemo-
 ratione principalium & regiarum i-
 ſtarum actionū. Ac primum de Pau-
 lo. Is plurimum commendat Philip-
 penſibus Epaphroditum. Vocat eū
 fratrem, Collegam, Commilitonem.
 tribuit etiā ei cognomen Apoſto-
 li. Paulus prorsus æquat ſibi Epa-

*Epaphroditi
 legenda.*

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

phroditum, quamuis Paulus multis
donis superauerit eū. Fuit enim rap-
tus in tertium cœlum. Edidit multa
miracula, &c. Et tamē collocat Epa-
phroditū iuxta se. Magna uirtus, &
ad imitationem nobis proposita. Nā
hoc est uulgare uitiū inter homines,
q̄ si quis alterum excellit paucis tan-
tum numis, aut aliqua dignitate non
admodum excellenti, continuo tol-
lit cristas, cōtemnit præ se proximū,
& omnia agit, quibus possit proxi-
mum opprimere. Hęc arrogantia nō
est simplex peccatum, sicut furtum
aut homicidium, sed est peccatū ge-
nerale aduersus totum compendū
legis de caritate: Diliges proximum
tuum sicut teipsum. Tale peccatum
designabat initio Satan inter ange-
los. Contemnebat præ se omnes ali-
os angelos, & uolebat Deo æqualis
esse. Deiectus igitur est in profundū
infernī. Tale etiā peccatum desig-
nauit Cain erga fratrem suum Abel.
Metue

Metuebat ne Abel fieret ei æqualis. Volebat solus esse dominus terre, et occidit Abelem. Sed deletus est ipse postea cum tota posteritate in diluvio, & dum adhuc uiueret, nullā unquam habuit tranquillitatem. Imitemur igitur non Satanam, nō Cainū, sed Paulum, ut non solum feramus, quò proximus emergat, sed etiam adiuuemus eum nostra quacunque possumus opera. Deinde habent & Philippenses suam laudem, quòd publica legatione uisitauerint Paulum captiuum, & miserint ei pecuniam, sumptum & alia. De hac re non est nunc dicendi locus, ne auditores nostri (ut multi eorum sunt suspicaces) existimarent nos hæc explicare, quò nos ministri ecclesiæ honorificentius tractaremur. De Epaphrodito autem considerandum est. Hic suscepit longam & periculosa n peregrinationem, à Macedonia usque ad

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

Romani, ut captiuo Paulo munera deferret, ac Romæ seruiuit Paulo in uinculis periculo uitæ suæ. Vnde & Commilito Pauli uocatur. Hæc est uirtus commendatione dignissima, ac uerè martyrium, ut uocant. Præterea Epaphroditus in hoc officio affectus fuit maxima ægrotatione. Hic ergo uide mihi quomodo sese gerat Philippenses & Paulus in morbo Epaphroditii. Philippenses maxima afficiebantur tristitia, Et Paulus ipse magno dolore corripiebatur super eius infirmitate, ac dicit eū restitutum esse sanitati ex misericordia Dei, ne dolorē haberet super dolorē, uidelicet, significās se maximo dolore affligendū fuisse, si Epaphroditus ex hac infirmitate mortuus fuisset. Quid hoc, obsecro, rei est: an nō egrotationes immittunt ex uoluntate Dei: Ergone, Sācti dolent de Dei uolūtate? Præterea an nō mors est liberatio ex malis huius seculi? Et Paulus supra dixit:

dixit: Cupio dissolui, & esse. cū Chri-
 sto. Quomodo ergo nunc dolet de
 morbo Epaphroditī? Respōdeo: Ve-
 rum quidem est, quòd morbus non
 immittatur nisi uoluntate Dei. Non
 cadit capillus de capite sine Patre.
 Deus autem non immittit proximo
 morbos, ut alter gaudeat & iubeat,
 sed ut alterius caritatem probet, &
 condolentiā eius excitet. Sicut enim
 proponit diuitibus pauperes, ut di-
 uitum liberalitatē exerceat, ita pro-
 ponit sanis infirmos, ut officium sa-
 norum exerceat. Quare infirmi uisi-
 tandi sunt, & significandum ipsis est
 tam uerbis quā operibus, quòd cō-
 doleamus. Condolendum autē est in-
 firmo, Primum propter Deum, quia
 Deo placet mutua dilectio. Sicut pa-
 tri placet, si reliqui filij condoleant
 cum eo filio, qui uirgis percussus est.
 Deinde propter infirmum, quia in-
 firmitas non est sine periculo anime.
 Multi sūt peiores infirmitate. Cūm

*infirmo cōdo-
 lendum est.*

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

ergo proximus uerſet̃ in periculo,
condolendum eſt, & ſubueniendum
quomodocunq; poſſumus, ſicut con-
dolemus ei, quem uidemus in aqua
periculoſe mergi. Poſtremo propter
nos, quia partim periculum eſt, ne in
firmitate priuemur bono amico, par-
tim admonemur ex aliena infirmita-
te de noſtra condiſiōe, ut excitemur
ad reſiſcentiam, & ſectemur uoca-
tionem Dei.

ET CERTE FUIT INFIRMVS,
ITA VT ESSET VICI-
NVS MORTI &c

Dicamus iterum de morbo & e-
grotatiōe Epaphroditi. Multa enim
offerunt ſeſe in eo admiranda. Hic e-
nim Epaphroditus fuit uir ſanctus,
etiā Pauli teſtimonio. Miſſus eſt Ro-
mam ab eccleſia ſancta Philippenſi-
um, proſectus eſt ad Paulum ſan-
ctū. Fuit & proſectionis negocium
ſanctum. Detulit enim Paulo ſan-
cta Philippenſium munera. Habes
oīa

oia sancta. Et tñ Deus permittit, ut Epaphroditus decidat in pessimā egrotationem, adeo ut fieret uicinus mortis. Quid etiam hoc est, q Paulus nō restituit eum sanitati mirabiliter, cū habuerit donum edendorū miraculorum. In Actis cap. xix. dicitur: Virtutes non uulgares edebat Deus per manum Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicincta, & recederent ab eis, & spiritus mali egrederentur. Cur ergo hoc loco non mittit sudariū suū Epaphrodito tam dilecto, & tam sanctum negotium tractanti ut sanetur? Et Act. xxviii. sanat patrem Publij febribus & dysenteria laborantem, & multos alios infirmos in insula Melite &c. Sed nihil hic iniqui uel à Deo uel à Paulo erga Epaphroditum factum est. Sancti enim non in hoc crediderunt in Christum, & ambulant in uocatione Dei, ut sint immunes à malo.

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

rum cōtactu in hoc seculo, & ut perfruantur fœliciter hoc mundo, sed ut cū in hac carne omnia afflictionū genera perferendæ sint, possint aduersa fortiter sustinere, & futuram fœlicitatem accipere. Nam sancti necesse habent duobus nominibus in hoc mundo afflictionibus expositi esse; Altero, quod sint homines carne circumdati, quorum maledictio est, In sudore uesceris pane tuo. Cū igitur coniunguntur cum humano genere carnis æqualitate (et si spiritu separantur) quæcunq; sunt carnis incommoda, sunt ipsis cum humano genere cōmunia. Altero, quod sint sancti, quos Satan magis affligit q̄ reliquos. Hac enim lege credidit Christianus, ut sciat plus sibi quàm cæteris in hoc seculo laborandum, quippe cui magis sit cum Diaboli impugnatione luctādum. Sed quod Deus hoc permittat, ut Sancti plus quàm cæteri in sanctis suis operibus affligantur

gantur, sua habet eaq; optima & diuinissima consilia. Primum enim, metuit salutem piorum. In rerum enim foelicitate homines fiunt securi & ignaui, ac officiorum suorum neglectores. Quare Deus immittit aduersa pijs, ut in suis officijs contineantur. In fame & siti magis solemus sobrii esse, quam in abundantia uini & frumenti. In sanitate sumus negligentiores orationis, quam in infirmitate &c. Deinde hic mundus, quia praesens est, & iucundus uidetur, solet ad se homines allicere, ut ponant spem suam in rebus huius seculi, nec possunt persuaderi, ut libenter hunc mundum derelinquant. Quare Deus immittit pijs multas & magnas afflictiones, ut discant hunc mundum odisse, & concipiant desiderium futuri seculi. Nam quemadmodum magistratus eum captiuum in carcere fortius ligat & grauius onerat, quem uidet carcere delectari, nec petere libera-

IN CAP. II EPIST. AD PHILIP.

tionem. Hoc autem idcirco facit magistratus, ut inijciat captiuo desiderium liberationis, & cogat eum deprecari squalores carceris. Ita hic mundus carcer est piorum, quo homines solent delectari. Inijcit ergo Deus pijs grauissima quæque aduersa, tanquam uincula, ut adigat eos ad petitionem redemptionis. Præterea Deus præparauit pijs in altero seculo maxima premia, quæ nullus humanus captus comprehendere potest. Ad maximam autem coronam non peruenitur, nisi maximo certamine. Imponit igitur graua certamina pijs, ut sint præparatorum premiorum capaces. Ad hæc Deus sinit pios affligi in uocatione sua ambulantes, ut sint exemplo impijs, quò resipiscant. Nam si iustus afficitur supplicio, impius & peccator ubi comparebit? Et si iudicium incipit à domo Dei, quis erit finis eorum, qui non credunt Euangelio? Si Deus permisit, ut Epaphroditus tam sanctus

sanctus uir, in tam sancta profectio-
 ne, incideret in grauissimum ac penè
 mortiferum morbum, quid impijs
 tunc Romæ existentibus continget,
 qui student omnibus scelerum gene-
 ribus? Quare cùm oriuntur aduer-
 sa in uocatione Dei & negotio san-
 cto, non est existimandum, Deum
 dormire, & nostri oblitum esse,
 sed maximè tunc uigilare, & salu-
 tem nostram curare. Quòd autem
 Paulus non sanauerit Epaphrodi-
 tum misso sudario, etiam suas ha-
 bet suas causas. Primum enim,
 donum ædendorum miraculorum
 non fuit datum Apostolis proprie-
 tate, ut eo pro sua ipsorum uolun-
 tate uterentur, sed datum est, ut eo
 uterentur, quādo Deo uisum esset,
 et præciperetur à Deo usus eis. Cùm
 igitur hoc loco Deus non præce-
 perit Paulo, ut sanaret Epaphro-
 ditum mirabiliter, non licuit Pau-
 lo, pro sua ipsius cupiditate, hoc

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

faciendum suscipere. Adhæc Christus contulit in Apostolos donum ædendorum miraculorum, non ut pīj in hoc seculo fœliciter uiuerent, sed ut ueritas Euangelij confirmaretur. Epaphroditus autem non indigebat miraculis, quippe, qui antè de ueritate Euangelij certificatus erat. Quare non ædatur in ipso externum miraculum. Præterea Christus non uoluit, ut omnes ægroti, præsertim pīj, mirabiliter in hoc mundo sanarentur, ne uidelicet pīj, qui postea in mūdo essent, sollicitarentur ad desperationem, si non & ipsi mirabiliter in ægrotatione sua liberarentur. Iam autem cū uidemus non solum pios uulgares, sed etiam Apostolos ipsos in Ecclesia recens nata non semper ab aduersis suis liberatos esse, speramus nec nos à Deo derelictos, etiā si nullum in nobis externum miraculum ædatur. Cæterum, quòd Paulus ait, Misertus est Deus non illius tantum,

tum, sed etiam mei, &c. significat, dona Dei conferri in quempiam non ipsius tantum causa, sed propter proximum. Sapientia, sanitas, diuitiae, potentia, dantur propter proximum. Quare utendum est ipsis ad commodum proximi. Postremo Paulus commendat Epaphroditum Ecclesiae Philippensium. In precio, inquit, habete &c. Docet autem eos, qui sustinent pericula in uocatione Dei, non esse temeritatis reprehendendos, ut importuni homines facere solent, dicentes: Cur non continuat se domi?

Sic enim nihil fortassis mali

ei accidisset: sed po-

tius in precio ha-

bendos.

CAP. III.



VOD SVPEREST FRA
TRES GAUDETE.)

Sepe nunc diximus,
hanc epistolam Pauli es
se familiarem, et consta
re uarijs argumētis. Cū igitur Pau
lus supra cōsolatus sit Philippenses,
& descripserit ac commendauerit e
is Timotheum & Epaphroditum,
hortatur nunc eos, ut caueant à do
ctoribus circumcisionis. Sed prius q̃
hoc agit, iubet eos gaudere, & bono
animo esse, idque in Domino. Fue
runt enim hactenus tristes. Primū
propter persecutiones, deinde prop
ter uincula Pauli, præterea propter
egrotationē Epaphroditi. Nunc au
tem omnis tristitiæ causa sublata
est. Nam persecutio non officit, sed
prodest Euangelio, quemadmodum
in primo capite dictum est. Vincu
la Pau

la Pauli similiter sunt occasio diuulgandi & confirmandi Euangelij. Adhæc, Paulus recepit se rediturum ad ipsos, quanquàm paratus sit mori propter Christum. Postremo, Epaphroditus redit incolumis. Quare nullam habent causam tristitiæ. Etsi autem nunc difficillima sunt tempora, tamen & nos habemus magnas causas gaudiij, non quidem carnalis, sed spiritualis. Gravis est rerum penuria, hostis externus imminet ceruicibus nostris, & est metus futuræ mortalitatis. Accedunt & aliæ ærumnæ. Multa hæc sunt, & magna pericula: At maiora & excellentiora sunt beneficia Dei. Habemus enim Euangelion de Iesu Christo, ex quo manifestum nobis redditur, Primum, quomodo consequenda sit remissio peccatorū, & quod Deus sit nobis propitius propter Christū, id quod prius ignorauimus. Alius enim que-

IN CAP. II. EPIST. AD PHILIP.

fuit remissionem peccatorum in eu-
culla, alius in missa, alius in indulgen-
tijs, &c. Deinde, quæ sit uera iusticia,
adhæc, quæ sit ratio mortis, adeoq;
omnium afflictionū. Postremo, quæ
sit uera uia ad æternam beatitudinē.
Hæc sunt maxima Dei beneficia, quæ
si probè perpendamus, afferunt no-
bis summum gaudium, etiam in me-
dijs ærumnis. Sed audiamus exhor-
tationem Pauli: Eadem scribere uo-
bis, me quidem, &c. Cauete canes,
cauete malos operarios, cauete con-
cisionem. Hæc est grauissima & seue-
rissima admonitio, ac uidet̃ esse ual-
de contumeliosa. Vocat enim aduer-
sarios Canes. Hoccine, inquis, est E-
uangelicum? hoccine est Apostoli-
cum? An non Christus iussit Aposto-
los suos esse mites & mansuetos: Ius-
sit, Sed quod Paulus agit, non est cō-
uicium, sed officium. Quod ut intelli-
gamus, consyderandum est, qui fue-
rint hi, in quos Paulus tam seueriter
inueha-

invehatur & cauere iubeat. Fuerūt autem doctores circuncisionis, uide licet hi aut horum similes, de quibus in Actis xv. scriptū est, qui docebāt, Nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis esse salui. Non autem erant amplius Iudæi, sed facti sunt Christiani. Docebant autem ad salutem necessarium esse, nō solum credere in Christum, sed etiam suscipere circūcisionem, ut homines merito circūcisionis iustificarentur coram Deo. Hi commiscebant inter se Christianismum & Iudaismum. Docebant Christum & merita operum legis simul. Tales hoc tempore sunt, qui simul docent Euangelion Christi, & religionem Papisticam, ac merita humanæ iustitiæ. Dicunt credendum quidem esse in Christum, sed missam quoq; celebrandam, ut merito huius sacrificij consequamur remissionem peccatorum, in Christo impetratam. Distribuunt sacramen-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

tum coenae dominicae, nunc sub una,
nunc sub duabus speciebus. Et om-
nino confundunt inter se Euangeli-
on Christi ac pontificias impietates.
Tales uocat Paulus Canes, idē mul-
tis nominibus. Primum, quia sunt im-
pudentes, sicut canes. Circumeunt
per urbes & familias, & quarunt
quos decipiant, ut suo uentri seruiāt.
Vbi olfecerint aliquid lucri, eō se fe-
stinā proripiunt, Sicut canes ad nido-
rem culinarum festināt. Deinde prae-
dicatio eorum nō est suauis cantus,
sed tantum latratus & ululatus (hoc
est) non est Euangelion, sed potius
terror, quia faciunt ex Christo iudi-
cem humanorum meritorum. Ad-
hæc, sicut canis reuertitur ad uomi-
tum, & omnia deuorat indiscrimina-
tim, ita hi omnia confundunt, & in-
ter se doctrina sua commiscēt, ac po-
pulo credendum proponunt. Qua-
re cognomen canis optimè cōuenit
eis. Vocat etiā ipsos malos operari-
os.

Canes predi-
catores hu-
manorū me-
ritorum.

os. Sicut. n. infideles mercenarij magis perdunt vineam q̃ ædificant. Solent enim uites clam excindere, quas dñs vineæ putat adhuc in terra suis radicibus hæere, ita hi doctores perdunt vineam Dñi, nō edificat eam. Vocat et eos Cōcisionem, quo uocabulo significat doctores circūcisionis magis ecclesiam Christi cōcidere, q̃ construere & cōseruare, ut aptè uocentur doctores concisionis. Sicut, si quis prædicatores missæ diceret eos rectè uocari, Messprediger, quia metiuntur Deo humana merita, & obtrudunt ei certam meritorum suorum mēsuram. Dicunt enim, quòd in hoc seculo poenitentia agenda sit, p̃ uno peccato mortali septē annos. Dicunt pro conuitiandam & mensurandam esse elemosynam trium aut quatuor numorum, &c. Habemus cognomina impiorum doctorum, quæ Paulus idcirco recitat, ut significet, quāta sit impietas peruersæ doctrinæ, & quanta diligē

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

tia cauēdi sint doctores meritorum.
Nec est conuicium, sed officium in
Paulo. Sicut enim Samson electus fu-
it ad deuiastandos Philistinos, & ma-
gistratus ad persequendos & truci-
dandos latrones, ita Paulus uocatus
fuit ad refutandam impiam doctri-
nam, & ad refellēdos impios docto-
res. Quare, quemadmodum magi-
stratus non peccat homicidio, cū
legitimē trucidat latrōes, ita Paulus
non peccat conuicio, cū uocat im-
pios doctores canes & malos opera-
rios. His enim uocabulis uult terre-
re auditores Euangelij, ne præbeant
his aures, quippe qui indigni sunt,
quibus ut canibus fides adhibeatur.
Et turpissimum est, esse discipulum
canis, &c.

NOS ENIM SVMVS CIR-
CVNCISIO, &c.

Paulus seuerissimē inuectus est
in pseudoapostolos, qui prædicabāt,
& exigebant circumcisionem, tanq̃
necessa

necessariam ad salutem. Sed quia hi habebant magnam speciem sui instituti, idcirco Paulus docet, qui sint ueri circumcisi & Iudæi: Non enim negari potest, quin Iudæi sint posterii Abrahamæ, qui accepit circumcisionem à Deo, & cuius posteritatem Deus elegit in suum peculiarem populum, atq; adeo manifestum est, quòd Iudæi iam inde ab Abrahamo habuerint ueram religionem. Negari item non potest, quin scriptum sit de urbe Hierusalem, hoc est, de uera Ecclesia Dei, Esa. liij. Non adijciet ultra, ut pertranseat per te incircuncisus & immundus. Quo uerbo propheta significat, eum nullum habiturum locum in ecclesia Dei, qui sit incircuncisus. Quare necessarium est, ut ostendatur, qui sint ueri coram Deo circumcisi & Iudæi. Nos (inquit) sumus circumcisi, qui spiritu Deum colimus, & gloriamur de Iesu Christo. Fateor quidem circumcisionem illam exter-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

nam suum habuisse usum ante ad-
uentum Christi, sed qui tantum car-
ne circuncisi sunt, non sunt ueri cir-
cuncisi, nec ueri Iudæi. Externa e-
nim circuncisio non est ea, quæ co-
ram Deo ualet, nec externus Iuda-
ismus is est, propter quem possit
quis salutem consequi. Sed nos qui
colimus Deum spiritu, & credimus
in Christum, ac habemus gloriatio-
nem nostram, nō in carnalibus meri-
tis, sed in Iesu Christo, sumus ueri cir-
cuncisi & ueri Iudæi. Videamus er-
go quid sit Deum spiritu colere, &
gloriari in Christo, ut etiam intelli-
gamus, quomodo hi, qui Deum spi-
ritu colunt, sint ueri Iudæi, & ha-
beant ueram ueterem Religionem.
Ac primum, Deum spiritu cole-
re, non est suscipere monachatum,
& facere opera monastica. Hos e-
nim uocârunt hætenus spirituales
Dei cultores. Nam monachorum
opera fuerunt potius carnales;
quàm

quàm spirituales cultus Dei. Deinde, Deum spiritu colere, non est de Deo tantum in corde cogitare, & in cœlum oculis respicere. Hoc possunt hypocritæ facere. Sed est Deum uerè & ex animo diligere, Deum ex fide inuocare, & eos diuinos ac spirituales Dei cultus facere, qui per externos & carnales Dei cultus adumbrantur. Exempli gratia: Circuncisio est carnalis Dei cultus, & adumbrat circuncisionem cordis, uidelicet, ut circuncidatur cor ab incredulitate, ab impietate, & ab omnibus carnalibus affectibus. Proponantur ergo duo, quorum unus habet tantum carnalem circuncisionem, & interim sit plenus impietate, & alijs carnalibus affectibus. Alter autem careat externa circuncisione, credat autem in Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi ex animo, & compescat per spiritum sanctum carnales

*Circuncisio
ueri*

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

affectus cordis, tunc hic uerè est circuncisus coram Deo, ille autem iudicatur pro incircunciso: hic est spiritalis cultor Dei, ille autem carnalis. Aliud exemplū: In lege instituta sunt sacrificia, holocausta, pacifica, & alia quæ sunt adumbratio Christi. Sunt ergo duo, quorum alter offert externum arietem, & non credit in Christum, sed credit in suum sacrificium, sperat se hoc sacrificio consequi remissionem peccatorum. Alter nullū offert externum arietem, sed credit in Christum adumbratum per arietē oblatum. Certè hic colit Deum spiritum, ille autem colit eum tantum carne. Hic est uerus Iudeus, uerus Dei cultor, ille autem illegitimus & abiectus. Aliud exemplum: In lege prohibetur esus carnis suillæ, quo monet spiritus sanctus, ne quis ducat uitam suillam. Sunt ergo duo, quorū unus abstinet se à carne suilla, sed interim non abstinet se ab impura uita. Alter autem

EXPLICAT. IOAN. BREN. 8

autem uescitur carne suilla, sed abstinet se ab impuritate uitæ. Hic ergo uerus est Iudæus, uerus & spiritualis cultor Dei, ille autem tantum carnalis &c. Sic dicendum est de externa ordinatione Dei in templo Hierosolymitano, & de uera adoratione, qua Pater inuocatur per filium. Colere autem Deum spiritu, est ueros & spirituales cultus Dei facere, qui per carnales adumbrati sunt, ut diligere Deum ex animo, inuocare eum ex fide, & uerbo eius ex fide obedire. Gloriari autem in Iesu Christo, Primum, non est uerbis multa loqui de Christo & Euangelio eius. Deinde non est gloriari de nomine tantum Christiano, & de accepto baptismo, ac cœna dominica, sed est confidere, quod Deus donauerit nobis Christum filium suum, & quod in iudicio suo respiciat tantum iusticiam & merita filii, ac propter filium agnoscat omnes, quotquot in ipsum credunt, iustos et

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

haeredes coelestium bonorum. Iudei
habent alias gloriationses, sunt circu-
cisi, agunt sabbata, & faciunt alia ope-
ra legis. De his gloriantur, & sperant
se merito horum operum consecu-
turos foelicitatem. Hoc est confide-
re in carne. Hypocritae recitant mul-
tas preculas, obseruant quaedam sta-
ta ieiunia, suscipiunt quasdam pere-
grinationes, audiunt Missas. De his
gloriantur in conspectu Dei, & pol-
licentur sibi propter ipsa regnum
coeleste. Hoc est confidere in carne.
Pij autem faciunt quidem ea bona
opera, quae Deus praecipit, non au-
tem confidunt meritis eorum, sed tan-
tum confidunt & gloriantur de me-
ritis Iesu Christi. Audiunt, Morie-
ris, nec potes te seruare tuis operi-
bus. Respondent ergo: Recte, non
possum me seruare, sed Christus ui-
uit, & seruat me. Audiunt: damnabe-
ris, nec potes per iusticiam tuam eua-
dere. Respondent: Recte: Meritus
sum

EXPLICAT. IOAN. BREN. 16

sum damnationem, sed Christus est iusticia mea & salus. Qui ergo sic colunt Deum spiritu, & gloriantur de Christo, hi sunt ueri Israëlitæ, ueri posteri Abrahamæ, & habent ueram ueterem fidem ac religionem. Primum enim, hæc religio fuit instituta in Paradiso, & prædicata inter Patriarchas. Nec quisquam Patriarcharum saluus factus est sine hac religione de Christo. Deinde, Circumcisio Iudaica & omnes cultus Iudaici, non sunt instituti propter se, sed tantum propter hanc religionem, uidelicet, ut doceretur & conseruaretur uera religio de Christo inter homines, & ut homines Deum spiritu colerent. Quare, qui Christum habent, & Deum colunt spiritu, hi sunt uera circumcisio, habent ueram religionem & salutem, &c.

SI QVISQVAM ALIUS VIDERETUR
DE TVR FIDVCIAM, etc.

Paulus grauiter inuehitur in Pseu

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

do apostolos, qui exigebant circum-
 cisionem tanquam necessariam ad
 salutem, & prædicabant non suffice-
 re solum Christum ad iusticiam, sed
 necessarium esse, iusticiam operibus
 legis mereri & parare. Ac antea qui-
 dem tribuit his dura, ut uidetur, epi-
 theta, uocauit eos malos operarios
 & canes. Nunc autem opponit eis su-
 um ipsius exemplum, ut compescat
 arrogantiam eorum. Nam gloria-
 bantur de meritis suis & prærogati-
 uis, quas habebant ex lege. Dicebāt,
 Quid: Nos sumus Israelitæ à maiori-
 bus nostris, à Patriarchis, Seruau-
 mus legem Domini ab ineunte æta-
 te, pertulimus circumcisionem iuxta
 ordinationem Dei, abstinuimus nos
 à carne suilla, & omnino ambu-
 lamus in lege Dei irreprehensibiles. Et
 nunc accipimus Christum, quæ lex no-
 bis promisit. An non propter illa prio-
 ra merita, longè maiores & plures
 prærogatiuas haberemus apud De-
 um,

um, quàm Gentes illę, quę etiam si accipiant Christum, tamen fuerunt ab ineunte ætate idolatrę, non agnouerunt legem Domini, cõtaminatę fuerunt omnibus generibus scelerum, & uixerunt uitam suam in omni immunditia: An nõ has præcelleremus coram Deo? Hęc erat gloriatio pseudoapostolorę, qui prædicabant unã cum Euangelio etiam merita operũ legis. Ac omnino tale quid erat, quale audiuius his temporibus aliquoties ab hypocritis. Postq̃ enim audierũt Euangelion offerre unicuius credenti in Christum, remissionem peccatorum gratis, statim responderunt: Quid? Nos tot annis duximus honestam uitam, obseruauimus ieiunia, recensuimus multas preces, dormiimus in nuda terra, suscepimus longinquas peregrinationes, instituius multas missas, & alia fecimus. Quæ ergo esset illa equitas, q̃ æquarentur nobis coram Christo hi, qui

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.
ab ineunte ætate inhonestè uixerūt,
& nulla unq̃ bona opera fecerūt, sed
tm accipiunt nunc unà nobiscū Chri-
stum per fidem. Hæc est illa quere-
la, quæ extat apud Matt. ca. xx. Hi no-
uissimī unam horam fecerunt in ope-
re, & illos pares nobis fecisti, qui por-
tauimus pondus diei & æstus. Pau-
lus ergo opponit gloriatiōi pseudo-
apostolorum sua seu merita seu ho-
nesta opera, & prærogatiuas, quas
habet. Opponit autē ea non ut iactet
suam dignitatem coram Deo, sed ut
hac occasione possit uanitatem pseu-
doapostolorum refutare. Putant (in-
quit) se solos fuisse honestos & bene-
meritos ab ineunte ætate. Sed audi tu:
Non hi soli fuerunt honesti, Sunt eti-
am alij homines, quod dici solet, ul-
tra flumen. Si quis gloriatiōē in car-
ne, in carnalibus operibus, in exter-
nis meritis operum legis habere ui-
detur, ego plus alijs habeo. Primū
enim, Circuncisus sum octauo die.
Non

EXPLICAT. IOAN. BREN. 88

Non sum profelytus, non sum advena, sed natus Iudæus, Israël ex genere, Hebræus ex Hebræo. Deinde sum ex tribu Benlamin, quæ tribus sic placuit Deo, ut ex ea primum regem eligeret, & institueret in regione eius templum ac sedem regni Iudæ. Hierusalem enim, in qua fuit templum & sedes regum Iudæ, sita fuit in sorte tribus Benlamin. Adhæc, iuxta legem, hoc est, traditiones seniorum, quæ & ipsæ pro lege habebantur, sum Phariseus. Hæc fuit exquisitissima secta Iudæorum, & præcipua ac sanctissima inter Sadducæos & Essæos. Qualis apud nos sanctissimus omnium monasticorū ordinum habitus est ordo Carthusianorum. Cum igitur Paulus dicit se fuisse Phariseum, significat se sanctissimam vitam obseruasse. Deinde iuxta studium persequens Ecclesiam, hoc est, non fui tepidus & frigidus Iudæus ac Phariseus, Quales multi

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

sunt, qui ita sectantur suam religionem, ut tamen interim non reprehendant, non damnent alias religiones, nec magno zelo suam curent religionem. Ego autem, inquit Paulus, fui tanto zelo Iudaismi & Pharisaismi accensus, ut etiam persecutus sim Ecclesiam Christi, quia putabam eam esse Iudaismo, hoc est, uerae religioni contrariam. Si ergo merita operum legis aliquid ualent, certe ego optimè meritus sum, qui sic sum legem tutatus, ut etiam aduersarios usque ad mortem persecutus sim. Postremo, iuxta iustitiam, quæ est in lege, factus irreprehensibilis, hoc est, Non colui externa idola, Sabbatum seruauì, Honoraui parentes, Non sum furatus, Neminem occidi, Non commisi adulterium. Breuiter, Egi uitam inter Iudæos irreprehensibilem, iuxta legem. Quid uultis amplius? An hæc non sunt satis magna et excellētia opera? Qua
re

res isti gloriantur de operibus aut
 meritis eorum, ego certe multo ma-
 gis gloriari possū. Sed quid uult sibi
 hac Pauli gloriatio? Non certe laudē
 humanā quærit, sed proposuit in me-
 dium, ut hac occasione exponat sen-
 tentiam suam de his meritis, & refu-
 tet iactantiam pseudoapostolorum.
 Dicit enim: Quæ mihi erāt lucra, hoc
 est, quæ uidebantur magna esse me-
 rita coram Deo, ea cōperi esse dam-
 na, si confero ea ad doctrinam Euan-
 gelij Christi, qui solus est omne lucrū
 meum. Præterea iudicaui ea merita
 esse σκῶβαλα, hoc est, reiectamenta,
 seu quisquilias, tantum ut Christum
 lucrifaciam, & in Christo inueniar.
 Hic observa, quæ epitheta Paulus
 tribuat operibus legis, non cerimo-
 nialibus tantum, sed etiam morali-
 bus, hoc est, ijs, quæ homines ex de-
 calogo faciūt. Nam uocat ea Reiecta-
 menta & damna, seu impedimenta.
 Primū, sunt reiectamenta, sunt quis-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

quiliæ, sunt putamina, quia & si Mo-
 ses perfecta opera præcepit, tamen
 quatenus ab hominibus fiunt, non
 sunt perfecta iusticia corâ Deo, nec
 merent̃ eternam uitam. Si aut̃ opera
 Decalogi talia sunt, multo magis ta-
 lia sunt opera Pharisaica, monastica,
 & his similia. Deinde uocantur dam-
 na seu impedimenta, ad consequen-
 dam ueram iusticiam. Quid audio,
 inquis? Sunt ne bona opera impedi-
 menta ad ueram iusticiam? Ac tole-
 rabile esset, si hoc diceretur tantû de
 cerimonialibus operibus legis Mosa-
 icæ, uidelicet, de circuncisione, & id
 genus alijs. Nunc aut̃ Paulus tribuit
 hoc epitheton omnibus operibus le-
 gis, siue cerimonialibus siue morali-
 bus. Dicit enim, Iuxta legem Phari-
 sæus, iuxta iusticiam, quæ est in lege,
 factus irreprehensibilis. Hic compre-
 hēdit simul cerimonialia & moralia.
 & uocat ea omnia Damna, seu impe-
 dimenta ad ueram iusticiam. Quid
 adhuc

adhuc dicemus: Peccabimus ne, & ambulabimus in omni genere scelerum, ne bonis operibus simus impedimento ueræ iusticiæ? Absit. Hæc obiectio non est noua, sed extat etiam in Epistola ad Romanos capite sexto: Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Respondeo, Paulus cum uocat bona opera, quæ iuxta legem fiunt, impedimenta consequendæ ueræ iusticiæ, non loquitur de ipsa operum substantia, sed de opinione, quam homines de his operibus concipere solent. Etsi enim ceremoniæ et iudicia Mosaica abolita sunt, exigunt tamē à nobis bona opera in Decalogo præcepta: & Paulus ea summo studio sectatus est, post agnitū Christum, docuitq; sectanda. Sed homines habent impiam opinionem de operibus legis, quia sentiunt, quod ea opera, quæ ipsi faciunt, sint perfecta iusticia, & sint merita æternæ uitæ. Hæc opinio quādiu est in hominibus,

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

impedimēto est, ne agnoscatur Christus, hoc est, ne accipiat uera iusticia in Christo. Vnde & ad Corinthios ait: Velamē cordibus illorum impositum est, cū legitur Moses. Velamen est opinio, qua putant sua opera esse merita foelicitatis, & esse perfectam iusticiam, Qua opinione stante, non agnoscitur Christus. Postquā autem Christus fuerit agnitus, tunc aboletur uelamen. Itaque Paulus, cū ait, bona opera esse damna et impedimenta, non loquitur de substantia operum, sed de opinione hominum per collationem ad Christum. SOLVS enim Christus est uera & perfecta iusticia, Quem qui acceperit per fidem, habebit & ipse ueram & perfectam iusticiam, quæ deinceps bonis operibus utcumque in hac uita declaratur.

NON HABENS MEAM IV*

STICIAM EX LEGE, &c.

Recitauit Paulus opera iusticiæ
sua,

suæ, quam habuit ex lege. Recitauit
 autem non ut de ea carnaliter gloria
 retur, sed potius, ut eam uilipēderet,
 & abiectam doceret. Quam ergo ha
 bet iusticiā? Omnino enim opus est
 iusticia, ut saluus fias. De hac igitur
 iusticia nūc loquitur, & ait: Vt Chri
 stum lucrificiam, ut in ipso inueniar,
 non habens meam iusticiam ex lege,
 sed eam, quæ per fidem est Christi,
 &c. Obseruabile dictum, quod & u
 num est ē præcipuis sententijs, quæ
 in toto nouo Testamento scriptæ ex
 tant. Docet enim duplicem esse iusti
 ciam, De qua iusticia semper fuit cō
 trouersia in orbe inter uerē pios &
 hypocritas. In hac controuersia, Ca
 in occidit Abelem, Pharisei persecu
 ti sunt Christum & Apostolos, &
 hoc tempore Pontifices persequun
 tur prædicationem Euangelij. Qua
 re diligenter consyderandum est de
 hac duplici iusticia. Altera .n. est ex
 lege, hoc est, ex bonis operibus, quæ

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

*Iusticia
duplex.*

lex mandat. Hęc est iusticia operum
& bonarum uirtutum. Vt cū quispi
am sectatur externos ritus publicę
religionis, non afficit contumelia no
men Dei, honorat parentes, non oc
cidit homines, sed libenter eis errata
condonat, non furatur, nemini impo
nit, dat decimas, ieiunat, iuuat egen
tes, non designat adulterium, sed du
cit honestam & castā uitam, adeoq;
agit uitam coram hominibus non so
lum irreprehensibilem, uerum etiam
commendabilem. Hęc iusticia uoca
tur iusticia legis, seu bonorū operū,
quę habet suam dignitatem, utilita
tem, atq; necessitatem. Dignitas est,
quod sit à Deo pręcepta & mādata,
& quod Deo placeat. Utilitas est, q
in homine pio sit gratitudo pro maxi
mis beneficijs, quę Deus per filium
suum cōtulit: & quia est gratitudo,
inuitat Deum ad conferenda etiam
alia beneficia. Gratiarum enim a
ctio, est benedictio & multiplicatio
accepti

accepti beneficij. Necessitas est, q̄
 nisi quis sectetur hanc iusticiā, quæ
 bona naturalis legis opera, seu mora
 les uirtutes exigit, manifestè signifi
 cet, se non habere Spiritum sanctū,
 aut ueram fidem in Christum. Nam
 ubi est Spiritus sanctus, ibi non po
 test se continere, quin det operam
 bonis ac pijs uirtutibus. Quare iu
 sticia operum necessaria est. Cur er
 go, inquis, Paulus uocauit hanc iu
 sticiam antea reiectamentum, aut dā
 num, seu impedimentum? Et nunc
 omnino abnegat eam, & ait: Non
 habens meam iusticiam, quæ est ex le
 ge. Respondeo, Paulus nō disserit
 hoc loco absolutè de iusticia operū,
 quemadmodum in alijs locis facit, ut
 Roma. duodecimo, & sequentibus
 capitibus, Sed disserit de ea per col
 lationem ad ueram & perfectam iu
 sticiam, & ad iudicium Dei. Tamen
 si enim iusticia operum, quæ homo

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

facit, digna est et utilis, & necessaria, tamen non potest hominem in iudicio Dei seruare, Propterea, q̄ quamquam lex præcipiat perfecta bona opera, tñ homines sic corrupti sunt, ut nunquam faciant operibus suis perfectam iusticiam. In iudicio autē Dei nihil constat, nisi quod perfectum sit & integrum, nec ullum habeat uitium. Quare hæc operum iusticia non potest factorem suum in iudicio Dei seruare. Quæ igitur iusticia nos seruat: Audi Paulum: Non habens, inquit, meā iusticiam ex lege, hoc est, non afferens eam ad iudicium Dei, ut ea confidam, sed habēs iusticiam, quæ est per fidem in Christum, & quæ est ex Deo in fide. De hac iusticia sic sentiendum est: Nullus hoīm uere & perfecte iustus est. Solus autem Christus filius Dei omnem impleuit iusticiā, Solus perfecte iustus est, qui non solum iusticia sua potuit constare coram humano iudicio, sed etiam

etiam coram diuino. In humano iudicio diligētissimè inquisiti sunt testes aduersus Christum, sed nullus inuentus est idoneus, qui potuerit aliquid mali de ipso testificari. Concilium Iudæorum, quod uocauerunt συνέδριον, uel ut Iudæi corruptè uocant, Sane-drin, summum uidelicet Consistoriū apud Iudæos, quæsiuit testes tam de doctrina, quàm de uita Christi. Sic etiam Pilatus ac Herodes, sed nihil mali inuenerunt in eo, tam Pontifices, quàm civilis magistratus, tam ecclesiasticum, quàm politicum iudicium. Adduxit & Deus ipse Iesum Christum ad suū tribunal, & explorauit omnia eius exactissimè. In horto Oliueti stetit Christus coram Dei tribunali, inuentus tamen est iustus, quia dixit: Non quod ego uolo, sed quod tu uis. In cruce, quando clamauit: Deus meus, ut quid me dereliquisti: stetit coram tribunali Dei, sed inuentus est iustus, quia commenda-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

uit Deo spiritum suum, quod nō potuisset facere, nisi uere fuisset iustus. Coniectus fuit in mortē, quæ est supplicium peccatorū, sed & in morte inuentus est iustus, quia resurrexit tertia die. Mors enim nō potuit eū detinere, quod certe potuisset, si inuentus fuisset iniustus. Itaq; Iesus Christus inuentus est iustus coram iudicio, tam humano quàm diuino, cuius rei etiam habet testimonium è cœlo. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Porro, Deus pater tam clemens est erga homines, q̃ Christum filium suum omnibus audientibus Euangelion eius, & credentibus in ipsum, ita totum donet, ut etiam unā cum ipso omnia eius bona tribuat. Qui proprio filio suo, inquit, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quī fieri potest, quòd & non omnia nobis cum ipso donet. Quare donauit etiā credentibus iusticiam Christi, ut qui in

in Christum credit, cōfidat se seruandum iusticia Christi. Atq; hec est iusticia ex fide Christi, & iusticia dei in fide, uidelicet, qd Deus imputet pfectā iusticiā Christi oibus ijs, qui fide acceperūt Christum, & per fidem facti sunt mēbra Christi. Sicut enim in hoīe membra fruunt his honoribus, quibus caput afficit, ut si caput coronatur regia corona, etiā manus & pedes fruunt eo honore, quia & ipsa iudicātur coronata: ita cū Christus sit caput pñ, & pius sit membrum eius, fruitur pius honore, maiestate, & iusticia Christi. Quare danda est opera, ut simus membra sub capite Christo, ut perfectē iusti propter Christū reputemur.

VT COGNOSCAM ILLVM ET
POTENTIAM &c.)

Paulus cōcionatus est de duabus iustitijs, Altera est ex operibus legis, Altera, ex fide propter Christum. Nunc igitur exponit quis p̄cipue sit la-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

bor ipsius, quod maximum opus, qđ
in hac uita faciendum suscepit. O-
mnia, inquit, habeo pro reiecta-
mentis, tantummodo ut cognoscam
Christum ac potentiam resurrectio-
nis illius, & communionem passio-
num, &c. Alij alia curant, alij alia
agunt. Pseudoapostoli hoc unum a-
gunt, ut cognoscant circumcisionem
et alia opera legis, quę cū fecerint,
confidunt se salutem consecuturos
propter sua merita. Alij dies noctes
que cogitāt de humana philosophia,
& sentiunt se satis iustos, si pro hu-
manæ rationis dictamine uitam a-
gant. Alij studēt tantum placere ho-
minibus, & putāt res suas in optimo
statu collocatas esse, si ciuilitate hone-
sti habeantur, & ab hominibus lau-
dentur. Alij sunt adhuc sordidiores.
Nullam enim habent rationem ulli-
us religionis aut honestatis, tantum
curant uentrem & opes. Hęc sunt di-
uersa hominum studia. Quod ergo
est

est studium Pauli. Hoc, inquit, meū
 unum est studium, ut cognoscam
 Christum, ut cognoscam cōmunio-
 nem passionum, & potentiam resur-
 rectionis eius, ut dum ego fio confor-
 mis mortī eius, fiam etiam particeps
 resurrectionis eius. Quod Pauli stu-
 dium fuit, hoc debet & nostrum stu-
 dium esse. Quod ut faciamus, dilige-
 ter consyderandum est, quid utilita-
 tis cognitio Christi passiōis & resur-
 rectionis eius afferat. Cognitio igi-
 tur Christi est uera & æterna uita.
 Dicit enim Ioan. xvij. Hæc est uita æ-
 terna, ut cognoscāt te solum uerum
 Deum, & quem misisti Iesum Chri-
 stum. Ac perfecta quidem cognitio
 Dei & filij eius, non potest homini
 in hac uita contingere, quemadmo-
 dum postea sequitur. Nūc autem co-
 gnoscenda est passio & resurrectio
 Christi. Hæc si rectè cognoscantur,
 afferunt perpetuam utilitatem. Pri-
 mum ergo passio eius cognoscenda

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

est. Habet autem duplicem considerationem. Altera est, q̄ passio Christi sit expiatio peccati nostri coram Deo & reconciliatio cum Deo. Altera est, q̄ passio Christi sit mortificatio peccati adhuc in carne nostra herentis, & sit sanctificatio omnium afflictionum, quas in hoc corpore et in mortificando peccato sufferimus. Hæc est communio afflictionum Christi, & conformitas mortis eius. Non enim recte cognoscitur passio Christi, si tantum habeatur pro expiatione præteriti peccati, & non etiã pro mortificatione præsentis adhuc peccati. Dicit enim aliàs Paulus: Quicumque baptisati sumus in Christum, in mortem eius baptisati sumus. Sepul-
ti igitur sumus unã cum illo per baptismum in mortem &c. hoc est, passio & mors Christi debet in nobis esse efficax, ut mortificet affectus carnis, ne peccatum regnet in mortali nostro corpore. Quare, qui adhuc
ambulat

ambulat in peccatis, seu obsequitur
 cupiditati peccati, is nondum habet
 ueram cognitionem passionis Chri-
 sti, nec est particeps eius. Nam com-
 munitio passionis Christi in hoc consi-
 stit, non solum ut capiamus ex ea ex-
 piationem peccatorum præteritorum,
 sed etiam mortificationem præsen-
 tium adhuc peccatorum. Hoc si in no-
 bis fiat, tunc efficimur conformes
 morti Christi. Deinde cognoscenda
 est etiam uirtus resurrectionis Chri-
 sti. Hæc similiter duplicem habet
 considerationem. Altera est, quod Re-
 surrectio Christi afferat nobis resur-
 rectionem à morte ad perpetuam
 uitam & fœlicitatem. Altera est, quod
 Resurrectio Christi afferat creden-
 ti uirtutem faciendæ iusticiæ, seu am-
 bulandi in nouitate uitæ. Rom. vi.
 Quemadmodum excitatus est Chri-
 stus ex mortuis, per gloriam Patris,
 ita & nos in nouitate uitæ ambule-
 mus. Nā si in iusticiâ, &c. Quare ut hi,

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

qui obsequuntur cupiditatibus carnis, non cognoscunt recte passionem Christi, ita hi, qui non faciunt opera iusticiæ, non cognoscunt recte uirtutem resurrectionis Christi. Necessarium autem est, ut mortificetur peccata, & ut ambulemus in nouitate uitæ. Nemo enim est tam negligens salutis suæ, quin cupiat esse particeps resurrectionis & gloriæ Christi. Regnat enim Christus in cœlesti gloria, & habet uitā fœlicissimam. Quicquid autem agimus in terris, ad consequendam fœlicitatem agimus, si non cœlestem, certè terrenam. Et si enim errare solemus delectu, tamen non erramus affectu. Cupimus enim fœlicitatem, etiam qualemcunque. Non possumus autem gloriæ & fœlicitatis Christi participes fieri, nisi siamus conformes morti eius. At non sumus conformes morti eius, nisi mortificemus cupiditatem peccati, & ambulemus in nouitate uitæ.

uitæ. Quare necessaria est mortificatio carnis, ad quam cum afflictiones, quas Deus nobis immittit, plurimū conducant, sequitur necessarias quæque esse afflictiones, quæ & ipsæ sanctificatione sunt passione Christi, ut quicumque eas pertulerit ex fide, fiat particeps resurrectionis Christi.

NON QVOD APPREHENDĒ.

RIM, AVT PERFECTVS, &c.

Paulus dixit, se arbitrari omnia dānum esse, propter excellentem cognitionem Christi, & hoc unum agere, ut habeat iusticiā Dei, quæ est ex fide. Hæc uerba uidentur non esse aliena à iactantia, & apparent sic dici, perinde ac si haberet iam perfectam cognitionem Christi, & perfectā iusticiam Dei. Ac potuissent Pseudoapostoli ex eo accipere occasionem calumniandi aut accusandi Paulum arrogantiae. Quid? Tu ne is es, qui agnoscis Christum perfecte? qui totus es iustus? totusque beatus? Corrigit

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

igitur nūc Paulus dicta sua, & exponit sententiam eorū, Nō quod apprehēderim, aut perfectus sim, &c. hoc est, Quæ dixi de cognitione Christi, & iusticia Dei, non eo dixi, q̄ Christū in hac uita perfectē cognoscam, iuxta diuinam eius naturam, aut totus absorptus sim in spiritu, sed subinde magis ac magis secter, ut Christus mihi notior fiat, & iusticia Dei per fidem in me augeatur. Ego apprehensus sum à Christo. Laboro igitur, ut & ipse apprehendam Christum, sicut ab ipso apprehēsus sum. Itaq; obliuiscor præterita, & sector tantum futura. Quæ apprehendi iā, per se quidem multa & magna sunt, sed præ reliquis, quæ adhuc apprehēdenda sunt, nihil mihi esse uidentur. Quare semper ulterius pergo ad p̄fixum terminū, ut assequar palmam cœlestis uocationis Dei per Christū &c. Hęc Paulus de seipso scribit, sed pertinet exemplum eius ad uniuersam

sam Ecclesiam. Dixit enim Christus
 de Paulo: Electum mihi organon est,
 ut portet nomen meum coram Regi-
 bus & Principibus, &c. Cum igitur
 dicit, se anhiit, ut ad scopum pergat,
 & assequatur brabium seu palmam
 celestis uocationis per Christum, ui-
 dendum nobis est, quis sit scopus Chri-
 stiano prae fixus, & quod sit *scopus*
 uocationis celestis, ut & nos excite-
 mur ad obliuiscenda praeterita, & ad
 sectanda reliqua, quae adhuc super-
 sunt. Ac de scopo quidem, & fine,
 ac brabio hominum, alij aliter iudi-
 cant. Mahumetes praescripsit suis se-
 ctatoribus talem scopum ac finem,
 qualis porco potius, quam sano ho-
 mini, conueniret. Dixit suos sectato-
 res assecuturos paradisi gaudia, quae
 docet constare amoenis hortis, iucun-
 dis conuiuijs, & uenustis mulieribus.
 Hoc est celeste gaudium metiri tan-
 tum uoluptatibus corporcis. An non
 & porci tales tantum uoluptates

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

sectantur : Iudæi Rabini pollicentur
suis sectatoribus conuiuium de pis-
ce , ac optimo & uetustissimo uino,
& putant hoc esse brabium superne
uocationis. Sed uerus finis & scopus
humanæ felicitatis , ac brabium seu
præmium cœlestis uocationis est, ue-
ra cognitio Domini Dei nostri, uide-
licet, ut cognoscamus & intueamur
Deum æterna uisione , quemadmo-
dum Deus ipse nos nunc cognoscit.
Ioan. xviij. Hæc est uita æterna, ut co-
gnoscant te uerum Deum, & quem
misisti Iesum Christum. Et i. Cor. xij.
Cognoscam tunc , quemadmodum co-
gnitus sum. Et i. Ioan. iij. Nunc filij
Dei sumus , quoniam si apparuerit,
similes ei erimus, quoniam uidebimus
eum sicuti est. Quare uidere Deum
sicuti est, & frui ea uisione, est perpe-
tua nostra uita ac felicitas. Hoc & si
non possumus in hac uita perfecte co-
gnoscere , tamē licebit aliquo modo
ex rebus corporalibus percipere.
Quanta

Quanta, obsecro, est uoluptas agricolæ, uidere campum suum plenum frumentis? Quod si accederet præterea præsens fruitio frumenti, sine aliquo metu afflictionis, an non iudicaret eam esse partem summæ felicitatis? Et tamen campus frumētī est inter minimas partes creaturæ. Deus autem creator ipse, non est una tantum pars boni, sed est summum et totum ipsum bonum. Et quicquid per partes in alijs creaturis dispersum est, hoc cōtinetur omne in uno & solo Deo. Quicquid enim boni est in creaturis, hoc a solo Deo est, Itaque Deus est omnia in omnibus. Cū ergo uidetur Deus sicuti est, tūc habentur omnia in Deo bona, quæcūq; ex uniuerſis creaturis per partes nūquam potuissent colligi. Hæc uisio est scopus, finis, & brabium humani propositi. Ad hoc brabiū consequendū, ordinatus & uocatus est homo. Non potest autem fieri, ut hunc finē

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

perfectè in hac uita consequamur. Nunc cognoscimus, inquit Paulus, ex parte, in enigmate, per speculum. Tunc autem facie ad faciem. Quid ergo in hac uita faciendum? num o-
ciandum? num in delicijs & pecca-
tis uiuendū? Nequaquā, sed laboran-
dum & faciendum est, quod Paulus
exemplo suo fieri docet. Cognoscen-
dus est Christus per fidem, cognos-
cenda est passio & resurrectio Chri-
sti, qua fit, ut peccata fugiamus, &
uirtutē sectemur. Deinde obliuiscē-
da sunt superiora seu pręterita, & se-
ctanda sunt posteriora, seu futura.
Hoc latē patet. Primum enim, quę-
cūq; mala pręteritis temporibus de-
signauimus, obliuiscamur ea, & non
turbent nos, ita ut desperemus, sed
reiciamus ea in passionem, in mor-
tem, in sanguinem Christi, & cauea-
mus in futurum, ne peccemus. Dein-
de, quęcūq; bona fecerimus, obliui-
scenda sunt. Non est de ipsis glorian-
dum,

dum, non est ijs confidendū, sed per
gendū ad ulteriora, & existimemus
nos nunquā satisfecisse uocationi
nostræ. Postremo, quamcunq; Dei
& filij eius cognitionē habuerimus,
non simus ea sic contenti, ut non per
gamus & crescamus, sed obliuiscamur
quæ à tergo sunt, & enitamur
ad ea, quæ à fronte sunt. Pergamus
semper Deum et Christum filium e-
ius melius & rectius cognoscere, nō
quidem humanis commentis, sed di-
uinis literis, quæ nobis sunt ppositæ,
ut ex ipsis crescamus in agnitiōe dei.
Non em̄ sentiendum est, q̄ in hoc se-
culo sit status cognitionis & fœlicita-
tis nostrę, sed q̄ in altero tantum se-
culo percipiatur, q̄d in hoc seculo in-
choatur. Quare semper pergendum
est in cognoscendo Deo, & facienda
virtute.

QVOTQVOT ITAQVE PER-
FECTI SVMVS, HOC SEN-
TIAMVS, &c.)

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

Paulus exposuit, quod ipsius præcipuum & maximum omnium sit negotium in hac terra, uidelicet, quod laboret, ut habeat iusticiam, non eam, quæ est ex lege, sed quæ est per Christum: & quod omnia iudicet pro damno & reiectamento, tantum ut cognoscat Christum, ac uirtutem resurrectionis eius. Nunc autem accommodat suum exemplum ad uniuersam Ecclesiam, & hortatur omnes pios, ut exemplum suum sectentur: Quotquot, inquiēs, perfecti sumus. Quid? an non paulo antè dixit; Non quod apprehēderim, aut iam perfectus sim. Et, Nondum arbitror me assecutum: quomodo ergo nunc tam se, quam alios, perfectos esse significat? Quod dicit, Perfecti sumus, non intelligit de perfectione cognitionis aut uitæ. Nullus enim hominum est, qui queat esse cognitione diuinæ re, & sanctitate uitæ, in hac terra totus perfectus, sed intelligit de affectatione perfectæ doctrinæ

doctrinæ Euangelij. Et est sensus :
 Quotquot perfecti sumus, hoc est,
 quotquot sectamur perfectam, ue-
 ram, certam, & rectam doctrinam
 Euāgelij, debemus iusticiam nostrā
 tantum quærere in Christo, & non
 in meritis operæ legis : debemus itē
 hoc solum spectare, hoc solum age-
 re, ut cognoscamus Christum, & po-
 tentiam resurrectionis eius. Quod
 si quid alioqui præterea faciendū est,
 hoc Dominus ipse suo tempore per
 Spiritum sanctum docebit. Neque e-
 nim omnia possunt literis comprehē-
 di. Et tamen hoc non eo dicitur, q̄ li-
 ceat cuiusvis fingere, quæ libet, & ea
 obtrudere Ecclesiæ pro oraculis Spi-
 ritus sancti. Sed tenendus est canon
 Christianæ doctrinæ, conseruanda
 est regula Euangelij Christi, quā ex
 Prophetica & Apostolica doctrina
 didicimus, ut maneamus in uera &
 pia cōcordia. Memorabilis & neces-
 saria admonitio, Nō possunt omnia

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

quæ sentienda & facienda sunt, literis atq; concionibus comprehendî. Infiniti sunt casus hominum, & mutantur suis temporibus. Christus autem promisit Ecclesiæ Spiritum sanctum, quē & misit Apostolis, ac præterea recepit se Ecclesiam nunquam derelicturum. Ecce, inquit, ego uobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Quid ergo ad hæc dicemus? Num quia Christus promisit se spiritu sancto affuturum pijs perpetuo, idcirco quicquid unusquisq; qui se iactat esse in ecclesia Christi, somniauerit, & excogitauerit, agnoscendum est pro oraculo spiritus sancti? Hoc quidem exigunt pontifices, qui gloriantur se esse ecclesiam, quæ nunq; destituatur spiritu sancto. Sed hoc uanissimū est. Paulus enim non simpliciter docet Spiritum sanctum esse, quicquid quisque pro suo arbitrio excogitauerit. Sed addit: Attamen ad id, quod assecu-

aſſecuti ſumus, eadem procedamus
 regula, ut ſimus concordēs, hoc
 eſt. Non licet cuius fingere, quod
 libet, & id pro oraculo ſpiritus ſan-
 cti Eccleſiæ obtrudere. Sed tenen-
 dus eſt canon Chriſtianæ doctrinæ,
 tenendus eſt ſcopus Euangelij Chri-
 ſti, ad quem omnia reliqua dirigi &
 accominari debent. Dicitur e-
 nim aliàs: Si angelus de cœlo aliud
 Euangelion prædicauerit, anathe-
 ma ſit. Canon autem ſeu regula
 Chriſtianæ doctrinæ eſt, quòd Je-
 ſus filius Mariæ, ſit uerus Meſſias, à
 Prophetis promiſſus, uerus Deus
 & uerus homo, & quòd ſolus is
 expiauerit peccata noſtra morte
 ſua, ac reſurrexerit à mortuis prop-
 ter iuſtificationem noſtri. Nec ſit a-
 liud nomen datum nobis ſub cœlo,
 in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et
 quòd ex fide obediendum ſit uocati-
 oni Dei, non ut mereamur remiſſio-
 nē peccatorum, ſed ut agnoſcamus nos

Doctrinæ
 Chriſtianæ
 Canon.

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

gratos pro remissiōe peccatorū, iam
per fidem propter Christum accep-
ta. Hic est præcipuus canon Euange-
lij Christi. Hic canon, hæc regula sem-
per est seruanda. Ad hanc omnia alia
sunt exigenda. Si quid cum hoc ca-
none pugnauerit, manifestum est, q̃
non sit oraculum Spiritus sancti. Si
quid cum hoc canone conuenerit, et
affert manifestam utilitatem, agnos-
cendum est pro pia sententia. Exiga-
mus ergo aliquot genera doctrinarū
ad hunc canonem, ut uideamus quæ
sint oracula Spiritus sancti, & quæ
non. Pontifices iactant se agnoscere
Christum, dicunt se tenere locū Chri-
sti in terris, & sententiam suam esse
sententiam Spiritus sancti. Institue-
runt autem Missam priuatam, insti-
tuerunt peregrinationes. Ad quem
usum? in quem finem? uidelicet, ut
horum operū meritis expiarent pec-
cata uiuorum & mortuorū, ac ut im-
petrarentur à Deo uaria genera fœ-
licitatis

licitatis huius terræ. Quid ergo? nū
 hæc sententia convenit cum canone
 nostro? Nequaquam, sed pugnat cum i-
 pso ex diametro. Ergo manifestum
 est, quod non sit oraculum Spiritus san-
 cti, sed spiritus maligni. Mahumet di-
 cit, archangelum Gabrielem sibi ap-
 paruisse, & revelasse, Christum non
 esse Deum, aut filium Dei. Item ac-
 cedit ad Deum sine mediatore Chri-
 sto, sed per merita suorum operum, seu e-
 leemosynarum, & suarum precum. Hoc, pr-
 sus pugnat cum canone nostro, con-
 firmato Prophetis & Apostolicis
 scriptis, ac infinitis miraculis. Quare
 hic Gabriel Mahumetis, non fuit an-
 gelus Spiritus sancti, sed angelus Sa-
 tanæ. Spiritus nocturni responde-
 runt aliquoties coniuratoribus suis,
 quod patiantur gravissima tormenta in
 igne purgatorio, sed possint liberari
 lectione triginta missarum, aut alijs qui-
 busdam operibus. Hi sunt manifesti
 spiritus Satane, propterea quod respōsa

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

eorum pugnent cum canone Christi-
anæ doctrinæ. Anabaptistæ dicunt
infantes non esse baptisandos, quo si-
gnificant infantes non habere pecca-
tum, ac per hoc innuunt, Christum
nō esse passum pro infantibus. Hoc
manifestè est contra canonem Evan-
gelij, qui habet, quòd Christus pas-
sus sit pro omnibus hominibus, liqui-
dem omnes peccauerunt, infantes
& adulti. Item nōnulli eorum loquū-
tur blasphemè de cœna dominica
Christi. Vocant eam particulam ra-
parum. Item sentiunt se merito dere-
lictionis suarum facultatum, conse-
qui apud Deum remissionem pecca-
torum. Hæc omnia sunt contra ca-
nonem Evangelij. Quare non sunt
diuinæ, sed Satanicæ reuelationes.
Contrà autem, in nostris Ecclesijs,
in quibus is Canon publicè p̄dicatur
multa quidem instituta sunt, Cōcio-
namur, psallimus, cātamus, oramus,
sumimus cœnam Dñi, & alia faci-
mus,

mus: hæc aut̃ nō sunt instituta contra
canonem, Sed secundum doctrinam
canonis, & ut doctrina canonis ex-
plices, ac recte cognoscat̃. Quare no-
stra ecclesiastica ordinatio, est ordina-
tio spiritus sancti, quæ & pro tēpo-
ris ratione mutari potest, seruato tan-
tum Canone, ut maneamus in ue-
ra fide Christi, & caritate proximi,

ESTOTE IMITATORES
MEI FRATRES &c.)

Cum non omnia, quæ in doctri-
na pietatis cognoscenda & tenen-
da sunt, literis comprehendendi que-
ant, proposuit Paulus Canonem
seu regulam, ad quam instituti su-
mus, & ex qua debeamus reli-
qua cognoscere. Hæc regula est
doctrinæ Euangelij de Christo,
ex qua doctrina facile iudicari po-
test de quouis alio doctrinæ ge-
nere. Nunc autem proponit no-
bis suum exemplum, Imitatores,
inquit, mei estote fratres, & cæt.

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

In Ecclesia enim Christi duo præcipuè nobis consideranda sunt. Alter est doctrina, alter exempla Apostolorum. Christus enim, quem scimus esse uerum Messiam, seruatore nostrum, & de quo Pater testificatus est: Hunc audite, commendauit nobis auctoritatem Apostolorum, et iussit nos eorum uerbū audire: Qui uos audit, me audit. Et, Paracletus docebit uos omnia. Et, Accipite spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, &c. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Ac inter Apostolos commendauit præcipuè Paulum, quem uocat electum organon, rapuitque eum in tertium cœlum, ut ornaret eum Apostolica auctoritate. Quare tam dicta quàm facta, hoc est, doctrina & exempla Apostolorum, obseruanda sunt. De doctrina quidē Pauli non est hoc loco pluribus dicendū, quippe quæ manifestè extat, & singulis diebus exponitur. De exemplis autem

autem eius animaduertendum est, quod fiat hic sermo non de quibusvis factis Pauli, sed ijs, quæ ut Apostolus fecit. Habuit enim Paulus etiam suas infirmitates. Vide paroxysmum, qui fuit inter Paulum & Barnabam, Act. xv. quæ contentio duorum sanctissimorum uirorum fuit opus carnis, non propositum nobis ut imitemur. Si quid autem Paulus fecit ut Apostolus, hoc nobis ad exemplum propositum est. Quid ergo est illud? Paulus totum ministerium suum direxit in gloriam Dei, & utilitatem proximi. Item Paulus maluit obijcere sese uite periculis, q̃ negare Christum. Paulus non habuit tantum rationem suæ salutis, sed etiam aliorum, adeoque intantum, ut uoluerit esse anathema, quo Israëlita sui seruarentur. Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? &c. Et multa alia extant exempla Pauli, quæ certe nobis imitanda proponuntur.

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

Cæterum, cùm Paulus iussisset suum exemplum imitari, suscipit querelam aduersus inobedientes. Etsi, inquit, meum exemplum in sectanda doctrina Christianismi imitandum est, tamen proh dolor magna pars hominum aliò spectat. Loquitur autem Paulus non de Ethnicis & persecutoribus Euangelij, de quibus aliàs dicit: Quid attinet de his, qui foris sunt, iudicare? Sed loquitur de Christianis, qui agnoscebant Euangelion. De horum ignauia & socordia conqueritur, idq; nō simpliciter, sed obortis lacrymis: De quibus, inquit, saepe dixi uobis, nunc autem & flens dico. Cogita, obsecro, quanto amore persecutus sit ecclesiam Christi Paulus, & quantum doluerit de interitu ignauorum hominum. Est & hoc exemplum imitandum, ut doleamus de proximi nostri interitu, & de Ecclesiæ periculis, quæ certe hoc tempore maxima omnium sunt.

Sed

Sed quid illud est, quod Paulus de compluribus Christianis conqueritur: Primum, inimici sunt, inquit, crucis Christi. Quomodo hoc dicis Paulus? Num contumeliose loquuntur de Christo & cruce eius? Num crucem eius pedibus conculcant? Nequaquam. Volunt uideri Christiani, uolunt uideri se præclare sentire de cruce Christi. Sed dicuntur inimici crucis Christi, propterea quod nullam uolunt ferre afflictionem patienter et nomine Christi. Nam crux Christi non ea tantum dicitur, ad quam Christus ipse affixus est, sed etiam ea, quæ propter Christum infertur, & quæ Christiano ex quacumque causa accidit. Paucissimi autem sunt etiam inter Christianos, qui talē crucē ferre uolunt. Alij enim orta persecutione mussitant, silent, dissimulant, ac etiam abnegant Christum ac Evangelion eius. Hi sunt uerè inimici crucis Christi. Alij nihil uolunt

*Crucis Christi
sunt inimici.*

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

aduersi à proximo in hoc mundo sufferre. Sed si quid incommodi eis acciderit, tunc mox inuidia & iracundia inflammantur, execrantur aduersarium, pessima de eo spargunt, nec aliter se gerunt, quàm si essent à dæmonibus obsessi. Hi sunt uerè inimici crucis Christi. Ac licet quidem excutere à se afflictionē, si hoc fieri potest salua pietate, et obediētia, quam uerbo Dei debemus. Sed sic incandesce, execrari, insanire, & nihil nō malorum uicissim inferre, hoc demum est crucem Christi manibus & pedibus conculcare. Et tamen maxima pars Christianorum talem ducit uitam. Quare non est mirum, quòd Turca obtineat regna Christianorū, & conterat crucem Christi contumeliose, cū hoc idem faciant Christiani ipsi pessimis suis moribus. Deinde, Quorum Deus, inquit, uenter est. Quid potest dici admirabilius? Maxima pars non Ethnicorum, non Iudæo-

Iudæorum, non Turcarum tantum, sed etiam Christianorū adorant uentrem suū pro Deo. Sed quis Christianorum hoc fatetur? Nihil uidetur ipsis admirabilius dici. Videamus igitur quid sit uentrem pro Deo habere. Non est autem existimandum, quod manibus laborare, aut alia negotia ciuilia exercere, ut uictum parare, & uentrem pascas, sit per se adorare uentrem pro Deo. Sed uenter illoꝝ Deus esse dicitur, qui primū prae parando uictu nullam habent rationem doctrinæ Christianæ, non curant sollicitè Euangelion Christi, Putant auditum et disciplinam Euangelij esse rem extraordinariam, ad se non ualde pertinentē, institutam tantum ornamenti gratia, & obseruatam propter ueterem consuetudinem, Quales adumbrantur in parabola nuptiarum, ad quas uocati non ueniunt, sed excusant, alius uillam, alius boues, alius uxorem. Deinde

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

adorant uentrem pro deo, qui propter uictum nugantur, peierant, & dant operam dolis, ac imposturis. Adorant & hi uentrem pro Deo, qui colunt uerum Deum, tantum ob hanc causam, ut tribuat ipsis uictum. Nam hoc sine hactenus à multis missatum, peregrinatum, & monachisatum est. Habes quanta sit idolatria etiam inter ipsos Christianos. Et miramur adhuc, quid fiat, quod Turca tantas inferat calamitates orbis Christiano. Postremo, Quia terrestria, ait, curant. Sunt enim, qui cum non habeant curam uictus, quippe, quibus satis sit opum, curant potentiam, honorem, & uoluptates huius seculi, qua in re peccat etiam maior pars Christianorum. Itaque Christiani ipsi sunt blasphemii in crucem Christi, sunt idolatrae, adorant uentrem & terrestria bona pro Deo. Quare non iniuria deflet Paulus interitum eorum: ac facile conijci potest à lacrymis

EXPLICAT. IOAN. BREN. 108

crismis Pauli, quantus interitus eos
maneat. Quòd si uoluerimus effu-
gere hunc interitum, effugienda est
impietas, ut seruemur.

NAM NOSTRVM πολίτευμα

EST IN COELIS &c.

Paulus instituit antea grauissimā
querelam de moribus Christianorū,
quæ res quantum dolorem afferat
cordi eius, etiam lacrymis suis testa-
tus est. Conqueritur enim q̄ hi, qui
sunt auditores Euangelij, & uolunt
uideri Christiani, sint inimici crucis
Christi, adorent uentrem pro Deo,
& curent terrestria. Nihil uolunt ad-
uersi pati, sunt impatientes in omni-
bus afflictionibus, & querunt tantū
carnalem sclicitatem. Exire non
uolūt, pati recusant, adeoq̄ sic sole-
mus nos gerere, quēadmodū canes,
si qui casu ceciderint in p̄terfluentē
aquā. Hi nolūt in aqua suffocari, &
tñ si quis manū extēdat, ut extrahat
eos, mordicus apprehendūt ipsum:

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

ita nos non uolumus ferre aduersa
huius seculi, & tamen cum Deus ex-
tendit manus suas, ut nos seruet, &
ad meliorem uitam ducat per mor-
tem, fugimus Deum, & odimus con-
silia eius. Hæc est magna hominum
morositas. Quid ergo faciendum est,
inquis, pijs hominibus? Addit Pau-
lus: Nostrium politeuma, hoc est, mu-
nicipatus, est in cœlis. Est & hoc u-
num è præcipuis dictis sacrae scriptu-
rae. Ac manifestum est, quod cum Pau-
lus raptus sit in paradysum, & audie-
rit ibi diuina uerba, nihil temerè effu-
tiat, sed proponat nobis uerba sua
diligentissimè ponderanda. Quare
& hoc dictum non est oscitanter per-
currendum. Politeuma, inquit, hoc
est, ius nostræ ciuitatis seu municipa-
tus noster in cœlis est. Non est inter-
ris, quemadmodum carnales existi-
mât, sed in cœlis. Nam homines post
quàm adoleuerint, primùm omniū
soliciti sunt de loco habitationis, &
de

de iure ciuitatis alicuius, in qua & tuti sint, & alimenta sibi parent. Quòd si cui hæc fœliciter contigerint, putat rem suam in optimo statu collocatã esse. Ac prudentis quidem hominis est, parare sibi domiciliũ et alimentũ. Sed existimare, hanc unam esse nostram fœlicitatem, & hoc unũ agere, ut neglecta pietate et obediẽtia Dei, paremus nobis iura terrenæ ciuitatis, hæc demũ maxima est impietas. Non enim habemus hĩc in terris manentem ciuitatem, sed municipatus noster est in cœlis. Primũ enim uideamus, quomodo recipiamur in municipatũ & in iura cœlestis ciuitatis. Non enim possumus fructũ accipere ciuitatis cœlestis, nisi antè relati fuerimus in numerũ ciuium cœlestiũ. Ergo Christus Dominus noster, cũ antè expulsi eramus è Paradiso, impetrauit sua morte, ut hominibus daretur iterũ ius cœlestis ciuitatis. Cũq; homo baptisatur in Christum, & cre-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

dit in eum, tunc conscribitur in catalogum coelestium ciuium, & redditur particeps omnium bonorum in coelis. Ephe. ij. Per Christum aditum habemus utriusque in uno spiritu ad patrem. Iam igitur non estis hospites & incolae, sed cociues sanctorum, ac domestici Dei. Deinde uidendum erit, quae sint iura & priuilegia coelestis hereditatis. Nam qui sunt ciues in terris, sua habent iura, sua priuilegia. Defendunt enim ab hostibus & latronibus, quantum quidem humana potentia per magistratum fieri potest; defenduntur ab iniuria uicinarum. Utuntur aequo iure, utuntur publicis & communibus aquis atque pascuis. Si quis ciuium a praedonibus laedit, omnes alij ciues tuentur eum. Et alicubi, si quis ciuium fame praepria inopia rerum premitur, datur ei alimentum ex publico, in hospitali. Vnde dici solet, Quod si quis emit sibi ius ciuitatis, emit sibi prebendam, ut uocant. Sic & hi, qui sunt coelestes

ftes ciues, ſua habent iura, ſua priuilegia. Nam cœleſtes ciues tuti ſunt ab hoſte & latrone Satana, Satan nō poteſt eis nec morbis nec morte nocere. Et ſi quid aduerſi inciderit, tūc cœleſtis magiſtratus, & totus cœleſtium ciuium exercitus adiuvant eū. Adhæc, qui habent iura cœleſtis ciuitatis, percipiūt etiam bona cœleſtia, uidelicet, remiſſionem peccatorum, iuſticiam, liberationem à morte, & æternam fœlicitatem. Sed quemadmodum in terrena ciuitate, is qui habet ius eius ciuitatis, Primum neceſſe habet, ut obediāt publicis legibus, alioquī notatur publica ignominia, & reijcitur è ciuitate: ita etiam ij, qui ſunt cœleſtes ciues, neceſſe habent ſeruare leges cœleſtes, quæ ſunt de dilectione Dei & proximi. Debent nomen DOMINI honorare, & proximis benefacere, ac honeſtam uitam ducere, Deinde, is qui uult frui publicis

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

bonis terrenæ ciuitatis, necesse habet etiam ferre grauamina eius ciuitatis, quæ sunt, conferre tributum, et Reip. seruire, pro sua quisq; uocatione. Sic & ferēda sunt grauamina cœlestis ciuitatis. Hæc sunt uariæ afflictiones, quæ p̄is accidunt. Itaq; si quis eiicitur in exilium propter Christum, tunc proficiscendo in exilium, facit seruitutem Reipub. cœlestis. Item, si quis fert inopiam propter iusticiam negotiationis suæ, tunc facit officiū, aut, ut uocāt, seruitutem, pertinentem ad ciuitatē cœlestem. Item, si quis adiuuat pauperem sua pecuniā, tunc confert tributum ad Rempub. cœlestem. Hæc & id genus alia grauamina ferenda sunt cœlesti ciui: sed liberalissimè compensantur. Vt in ciuili Reipub. si quis pauca cōferat in cōmune, collocat in tuto omnia reliqua sua bona: ita cœlestibus ciuib. pro his grauaminibus reddūtur perpetua bona. Non sunt pares afflictiones

ones huius temporis, inquit Paulus, ad futuram gloriam, quæ reuelabit in nobis. Quare cū municipatus noster est in cœlis, non hoc agendū est, ut uentri seruiamus, sed ut Domino Deo nostro regi cœlesti obediamus, & uocationem eius sectemur.

EX QVO ET SERVATOREM
EXPECTAMVS, &c.)

Sunt & hæc exhortatoria, quibus Paulus admonet auditores Euangelij, ne adorent uentrem suū pro Deo, sed cogitent cœlestia, quandoquidē politeuma nostræ sit in cœlo, & non in terra. Et si autem Paulus utitur simplici tantum expositione, tamen q̄ diligentius obseruemus dicta Pauli, colligemus ē uerbis eius argumentatiōes. Propositum igitur Pauli est, ut exhortetur nos ad quærenda cœlestia. Curanda, inquit, sunt cœlestia, non terrestria. Hic est status, hoc est institutū Pauli, in hoc quidem loco. Prima ergo ratio exhortatiōis est, cū

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

ait: Nostrium politeuma est in cœlo,
non in terra. Cœlestia igitur curanda
sunt. De hoc autem supra diximus. Nunc
sequitur alia ratio exhortandi. Ex quo,
inquit, & seruatorem expectamus.
Ex quo nimirum politeumate cœle-
sti, uel ipso cœlo, cœlestia sunt quæ-
renda, non terrestria, quia expecta-
mus Seruatorem non in terra, sed in cœ-
lo. Veniet in cœlo, qui nos seruabit et
liberabit ab omnibus aduersis. In to-
ta terra, et in omnibus terrenis rebus ni-
hil est, quod nos possit seruare: non
cibus, non potus, non diuitiæ, non sa-
nitas, non regna, non potestas, non ho-
nor, non dignitas. Nulla est regio in
terris, in qua uenturus sit uerus serua-
tor noster. Quondam in Babylone, in
Sulis, in Macedonia, in Roma uenerunt
magni & potentissimi monarchæ, hi
uero magis oppresserunt homines, quam
adiuuerunt. E solo autem cœlo ue-
nit uerus Seruator. Quare cœlum
suspiciendum est, cœlestia quæren-
da &

da & curanda sunt. Cùm autem dicimus suspiciendum esse cœlum, & cœlestia querenda, non docemus superstitionem monasticam, ut concludamus nos in secretum aliquem locū, & nihil agamus aliud, præterquàm q̃ imaginemur, nescio quæ Cherubica & Seraphica in cœlo : sed ea cœlestia intelligamus, quæ describit Paulus ad Colossen. capite tertio. Exuistis, inquit, ueterem hominem cū factis suis, & induistis nouū. Vetus homo est, qui delectatur stupris, imundicijs, mala concupiscentia, auaricia, ira, indignatione, maledicentia, turpiloquentia, &c. Hic homo terrestris est, ideoq̃ exuendus. Nouus homo delectatur in Iesu Christo, & honestis uirtutibus. Hæc, uidelicet Christus, & bonæ uirtutes ex fide, sunt res cœlestes. Quare hæc nobis in hac corporali uita, præ omnibus alijs rebus, curanda & quærenda sunt. Deinde quod dicit: Expecta-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

mus, suppeditat etiam nobis materiam argumenti: Cœlestia sunt nobis curanda, quia nulla non hora, nullo nō momento expectandus nobis est seruator Christus è cœlo. Si certi essemus, nos multū temporis uicturos in hoc seculo, si certi essemus, Christum nō aduenturū adhuc in mille annis, fortassis haberemus occasionem querēdi terrestria. Nunc autē manifestū est, nihil nobis certius esse hora mortis, & Christi aduētū fore ex improviso. Veniet, inquit, sicut fur in nocte. Veniet paterfamilias, quā hora seruus minime iudicauerit. Quare nunquā non quærenda sunt cœlestia, ut semper simus parati ad excipiendum Christum. Adhæc, debet & hoc nos excitare, quod dicit: Iesus Christus Seruator. Curanda enim sunt cœlestia, quia Christus adueniet his, qui curant cœlestia, nō ut crudelis tyrannus, sed ut clementissimus Seruator. Impij curantes tantū
terrena,

terrena, necesse habēt metuere Christi aduentum, quia uenit ipsis ut seuerus iudex. Nobis autem, qui credimus in eū, Veniet SERVATOR. Quare cœlestia quærenda sunt, ut parati simus excipere ipsum in aduentu eius. In Euangelio Matthæi, seruus qui dat famulicio cibum in tempore, expectat aduentum domini sui obedientissime. Qui autē cœperit edere ac bibere, & percutere conseruos, non potest grato animo de aduentu domini sui audire. Et paulo post: Serui, qui talenta sua auxerant, alacriter excipiunt dominum. Alius autem seruus, qui talentum suum absconderat, trepidat ad aduentum domini sui, &c. Deinde debet etiam nos ad quærenda cœlestia excitare, beneficium, quod Christus offert nobis secum in aduentu suo. Hoc autē beneficium maius est, q̃ quod uerbis explicari possit. Transfigurabit, inquit, corpus nostrum humile, ut con-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

forme fiat corpori suo glorioso. Hoc est maximum beneficium. Non sunt quærenda corporalia. Quid ista? Quia corpus, quod nunc gestamus, humile est, abiectum est, mortale est, & corruptibile, putrefactioni obnoxium est. Qui ergo corpus curat, quid aliud facit, quam quod paret uermibus escam? Christus autem reddet corpus nostrum conforme suo cœlesti & glorioso corpori. Quare quærenda sunt cœlestia. Confer nunc humilitatem corporis nostri, cum gloria corporis Christi, & uidebis magnitudinem huius beneficii. Resurget quidem idem corpus hominis, quod in hoc seculo uiuit, sed resurget alijs donis ornatũ, sicut Paulus copiose docet, i. Cor. xv. Nam corpus nostrum in hac uita est mortale, Christus autem resurgens à mortuis, reportauit ex morte corpus immortale. Ergo & nostrum erit immortale. Item, Corpus nostrum
in

in hac terra indiget cibo, est obnoxium varijs afflictionibus, est graue, non pōt nisi pedetētim moueri, &c. Christus autem suscitauit corpus suum nullius cibi indigens, nullis passi onibus amplius obnoxium, tam agile, q̃ est spiritus, per oīa inoffense penetrans, adeoq̃ sedens ad dextram Dei, hoc est, præditum diuina maiestate. Tale igitur erit & nostrum corpus. Quare omni cura in hoc studium incumbendū est, ne amittamus tantæ gloriæ expectationem. Amittimus autem eam, si curamus terrestria, & contēnimus Christū ac uocationem eius. Vide em̃ mihi hoīm infanīā. Alius tam immensam gloriā negligit aut cōtemnit, ppter pauculos tantū numos: alius ppter aliquot mēsuras uinī: alius propter euanidā corporis uoluptatē. Quid est infania, si hæc nō est, uidelicet, ob tam uiles res tantā maiestatē abh̃ceret ludicamus Esau stultissimē fecisse, q̃ propter

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

pulmentum uendiderit primogeni-
ta, multo stultiores hi sunt, qui prop-
ter tam uiles res uendūt, aut potius
abijciunt, tantam foelicitatem in cœ-
lis. Postremò ne dubitaremus de po-
tentia Christi, qua efficiet, ut corpus
nostrum fiat conforme corpori suo,
addit Paulus: Secundum efficaciam,
qua potest sibi subiicere omnia. Hic
tribuit Paulus Christo omnipotenti-
am. Ergo manifestè docet, quòd sit
uerus Deus. Nemo enim est omni-
potens, nisi solus Deus. Quare cùm
Christus sit omnipotens, & prae-
rea promiserit, se excitaturū nos in
nouissimo die, ad accipiendā secum
hæreditatem cœlestem, non est dubi-
um, quin redditurus sit nostrum cor-
pus conforme glorioso suo corpo-
ri, & omnem foelicitatem nobis-
cum communem habiturus,
si modo nos curemus
cœlestia.

Caput

CAP. III.



ROINDE FRATRES MEI DILECTI, AC DESYDERATI, &c.

Postquā Paulus multa docuit, addit nunc exhortati-

onem, ut auditores eius constent in hac doctrina. Etsi enim non instituit in hac Epistola integras disputatiōes de summis & p̄cipuis articulis Christianae doctrinae, sicut in Epistola ad Romanos & Galatas, tamē attingit capita de iustificatione, quae est per fidem propter Christū. Non habens (inquit) meam iusticiam ex lege, sed eam, quae est per fidem Christi, &c. Docet de cruce perferenda propter Christum: docet pios post hanc uitam uiuere in Christo foeliciter: monet sectandos esse fructus fidei, ac p̄cipuē prestandam esse mutuam cari-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

tatem, sicut Christus sese humiliavit. Hortatur etiam, ne sectemur uoluptatem uentris, sed agamus curam coelestis salutis. Et multa alia. Nunc igitur hortatur eos, ut in hac certa, pia & firma doctrina consentiant, perdurent ac persistant. Primum enim omnium necessarium est ad salutem, ut cognoscamus ueritatem coelestis doctrinae, & concipiamus de ea prophetiam, hoc est, firmam certitudinem, ne quouis uento doctrinae circumferamur, & semper discamus, nunquam autem ad cognitionem ueritatis perueniamus. Nam ad hoc officium creati, nati, & educati sumus. Deus creauit hominem ad imaginem & similitudinem suam, hoc est, ut habeat notitiam Dei, qua homo fit similis imago Dei. Non creauit nos ad imaginem agrorum, pecuniae, uini, & reliquarum creaturarum, sed ad imaginem Dei, ut hanc sectemur. Adhuc, Deus si quem ex infantia

tiā perducit ad iuuentutem & senectutem, non idcirco facit, ut hic homo tm̄ edat, bibat, & manibus laboret, sed ut Deum per doctrinā cœlestem cognoscat. Et Deus dat hoī ad hunc usum alimenta, dat pacem, dat publicā incolumitatē, ut aliquandiu conseruet in uita, dum cognoscat ueritatem cœlestis doctrinę, qua Deus cognoscit. Quare ad salutē nostram primū oīm necessarium est, ut paremus nobis scientiā reꝝ diuinarū, & cōsequamur certā ueritatē pię doctrinę. Hanc autē discemus ex scriptis pphetiis & Apostolicis. Deinde qđ proximū est, necessariū erit ad salutē nostrā, ut in eo, qđ didicerimus, firmiter cōstemus, nec patiamur nos ab ea ueritate seduci. Et in hac parte perspicue uidemus, quanta incuria uulgus hoīm doctrinā Christianissimī audiāt. Nam cū audiunt, uel rabulam Papisticū, uel Anabaptisticū, uel etiam Iudæum, in medium affer-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

re aliquot testimonia Scripturę, tum
 protinus admirantur eum, & incipi-
 unt de doctrina Euangelij, quam au-
 diuerunt, dubitare. Hoc manifestum
 argumentum est, qđ non audiuerint
 cōciones Euangelij aliqua cura, nec
 conceperint de Euangelio Christi fir-
 mam sententiam. Quomodo ergo
 hī constabunt coram Satana, si non
 possunt constare coram hominē? Ec-
 Paulus dicit: Si angelus aliud Euan-
 gelion adnunciauerit, anathema sit.
 Cū igitur oportet nos piam doctri-
 nam tanta certitudine tenere, ut nec
 angelus eam nobis extorqueat, quid
 sentiemus de his, qui uno aut altero
 dicto hominis patiuntur eam sibi ex-
 cutere? Quare necessarium est, qđ
 Paulus admonet Ecclesiam, ut in do-
 ctrina sibi ab Apostolis tradita firmi-
 ter constet. Sed interim uide mihi, qđ
 humaniter, qđ suauiter Paulus Philip-
 penses suos alloquitur. Vocat eos
 fratres, idēqđ non simpliciter, sed dile-
 ctos

ctos ac desyderatos. Addit insuper
 Gaudium & Corona. Fratris cognomen, etsi honestissimum est, ac præci
 puè pijs conuenit, hoc tamen uarijs *Fratris cognomen sordidatum à multis.*
 superstitionibus ab impijs nunc sordidatum est. Primum, sordidarunt illud Monachi, qui se uocauerunt Fratres, Frater Abbas, & Frater Conuētus, quasi uero reliqui, quos uocārūt laicos & seculares, nō essent fratres in Christo. Deinde, reddiderunt hoc cognomen inuidiosum seditiosi rustici, qui & ipsi se uocārunt fratres, ad prædandas uidelicet hominum facultates. Deinde hoc tempore reddunt hoc nomen inuisum Anabaptistæ, qui arbitrantur se solos fratres in Christo, cū tamen sese à uera fraternitate Christiana seiunxerunt. Dicuntur autem soli ueri ac pijs Christiani, fratres. Et prodest hoc cognomen ad fidem & caritatem. Fides confirmatur, quia in hoc cognomine comprehenditur ille articulus,

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

Communio sanctorum. Omnes enim
 pñ sunt hæredes Dei, & cohæredes
 Christi: hoc est, sunt fratres in accipi-
 enda cœlesti hereditate. Hoc certe il-
 lustrius & nobilius est, q̃ si quis esset
 in fraternitate regionum liberorum. Ad
 caritatem autem mutuam excitamur,
 cum audimus Fratres, quippe q̃ hoc
 cognomen admoneat unumquemque
 sui amoris & officij, quæ debet proxi-
 mo suo. Vocat autem Paulus Philip-
 penses Coronam suam, hoc est, orna-
 mentum: quia Philippenses diligen-
 ter didicerant à Paulo Euangelion,
 & multa propter doctrinam Euan-
 gelij pertulerant, atq; cōstantes per-
 durauerant. Sunt igitur ornamentum
 Pauli coram Ecclesia in terris, & co-
 ram Deo & angelis in cœlo. Sicut
 Prouerb. xij. mulier honesta corona
 dicitur uiri. Et cap. xvij. filij bene e-
 ducati dicuntur corona senum paren-
 tum, &c. Post hæc Paulus hortatur
 duas mulieres, Euodiam & Synty-
 chē, ut

en, ut sint concordēs. Ex circumſtan-
tia uidemus, quā neceſſaria ſit inter
Chriſtianos concordia. Paulus enim
ex carcere ſcribit, ut ſint concordēs.
Non meminifſet huius rei in tantis
ſuis periculis, niſi ſentiret concordia
eſſe neceſſariam. Præterea hortatur
Paulus etiam alios, ut reconcilient
has duas mulieres. Omnino enim
neceſſarium eſt, ut ducamus uitam
concorditer. Vbi enim eſt mutua di-
ſcordia, ibi non manet Chriſtus. De-
us, inquit, caritas eſt. Qui manet in
caritate, in Deo manet. Adhæc, ubi
non eſt mutua caritas, ibi non poteſt
eſſe inuocatio. Quātum ergo ibi ma-
lorū oritur, ubi nec eſt Chriſtus, nec
eſt inuocatio? Quod aut Paulus di-
cit: Rogo te compar Germania, qui-
dam referunt ad uxorem Pauli. Di-
cunt enim eum habuiſſe uxorem. A-
lij negant, & referunt hoc ad uirum
quendam, carceris cuſtodem, de
quo in Actis, capite decimoſexto.

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP:

Alij sentiunt his uocabulis designari
præcipuum episcopum apud Philip
penses. Qualecuncq; autem id sit, cer
tè Christianismo nihil addit, nihil au
fert, siue Paulus habuerit uxorem, si
ue non habuerit. Nam Petrum habu
isse uxorem constat. Et Paulus com
mendat coniugium in omnibus pijs,
siue auditoribus, siue ministris Euan
gelij. In Christo enim Iesu ut nō que
rit, siue quis fuerit Iudæus, siue Græ
cus, siue uir, siue mulier, ita non qua
ritur, siue quis sit in coniugio, siue in
cœlibatu, tantummodo, ut unusquis
que piam & honestam uitam ducat
in suo uitæ genere. Circuncisio, in
quit Paulus, nihil est. Ita coniugium
nihil est. Cœlibatus nihil est, sed ob
seruatio mandatorum Dei aliquid
est, &c.

Cæterum quòd addit Paulus hoc
loco, QVORVM NOMINA
SCRIPTA SVNT IN LI
BRO VITAE, admonet nos, ut
perquiramus

perquiramus, q̄s sit liber uite, et quis
 usus eius. Multum em̄ & sepe sit mē-
 tio huius libri in scriptura. In Exō.
 ca. xxxij. dicit Moses: Si non dimit-
 tas eis, dele me de libro, quem scrip-
 sisti. Et in Psal. lxviij. de impijs perse-
 cutoribus dicitur: Deleantur de li-
 bro uiuentiū, & cum iustis non scri-
 bantur. Et apud Daniel, ca. xij. Salua-
 bitur populus, qui inuētus fuerit scri-
 ptus in libro. In Apoc, ca. xxi. Non in-
 trabit in nouam Hierusalem, nisi qui *Liber uiuentium quid.*
 scripti sunt in libro uitæ agni. Cū
 igitur toties fiat mentio huius libri,
 operæ precium est cognoscere, quis
 sit iste liber, ut cognoscamus, quo-
 modo & nos possimus consequi, ut
 in ipsum conscribamur. Non est au-
 tem sentiendum, q̄ in cœlo sit talis
 externus liber, aut eiusmodi Re-
 gistrum, quale habent diuites huius
 seculi, in quibus conscripta sunt no-
 mina subditorum & debitorum, sed
 est spirituale & cœleste registrum,

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

nec quicquam aliud est, q̄ gratuita illa electio Dei, qua Deus sibi ex omni hoīm numero ante constitutionē huius mundi proposuit, quos seruare uelit. Sic enim Paulus dicit Ephe. i. Elegit nos in ipso ante q̄ iacerent fundamenta mundi. Quod si Deus numerauit stellas cœli, & quod minutius est, capillos capitis nostri, certe numerauit & cōscripsit etiā quos ad perpetuam fœlicitatē seruare uelit. Hoc ergo Dei propositū, hæc electio, hæc p̄destinatio, hæc numeratio dicitur liber uitę. Porro, si quis uoluerit irrumpere ad lucē inaccessam diuinę maiestatis absq̄ Christo, tunc fieri nōn potest, ut aliquā cognitionē scripturę huius libri assequat̄, sed potius excēcabitur, & dubitabit de sua salute, ac etiam desperabit. Nemo enim, uel tam sapiens, uel tam iustus est, qui queat sua sapientia perscrutari hanc arcanam Dei scripturam, aut iusticia sua mereri, ut inter nomina
huius

huius Scripturæ contineatur. Sed bene habet. Postquam Christus aduenit et reuelatus est, tunc reuelatus est etiam liber uitæ, atque adeo, ut uerè dicamus, quod res est, hic liber uitæ est Christus ipse Dominus noster. Nam in Christo Iesu reuelatum est, qui pertineant ad æternam salutem, qui ad æternam condemnationem. Qui credit filio, inquit, habet uitam æternam. Qui uero non credit filio, non uidebit uitā, sed ira Dei manet super illum. Quare hoc tempore facile est hunc librum legere, & cognoscere, quis sit in eo scriptus, propterea quod quisquis inueniat se per fidē in Christo, is etiā scriptus sit in libro uitæ. Potuerūt & Patriarche hoc cognoscere ab initio orbis terræ, uidelicet, quantū potuerūt cognoscere de Christo promisso. Nūc autē propius est nobis salus, postq̃ Christus reuelatus est. Ergo in hoc libro nullus Turca, nullus impius Iudeus,

*Liber uitæ
Christus.*

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

nullus impœnitens nebulo, nullus
 pertinax hypocrita scriptus est, nisi
 conuersi ad Dominum, agnoscant
 Christum. Soli hi in eo scripti sunt,
 qui uerè in Christum credunt. Et ut
 hunc librum legamus, non est opus
 ut cum ingeniosissimis hominibus
 ascendamus in cœlum ad perscrutân-
 da arcana Dei, Sed debemus cū sim-
 plicibus pastoribus accedere ad præ-
 sepe, in quo Christus iacuit: debe-
 mus Christum pro nobis hominem
 factum, passum & crucifixum inspi-
 cere, & siquidem nos in Christo in-
 ueniamus, tunc legimus nomen no-
 strum in libro uitæ. Quid ergo erit
 his, quorū nomina scripta sunt in hoc
 libro? Nam qui conscribuntur inter
 terrestres unius urbis ciues, hi habēt
 sua priuilegia, & sua beneficia. Mul-
 to maiora habent, qui cōscripti sunt
 in catalogo cœlestium ciuium, & in
 libro uitæ. Primū, qui in hoc libro
 scriptus est, habetur illustrissimus
 coram

coram tota cœlesti curia. Sunt homines tenues, qui admirantur ostentatores insignium maiorum suorum, & dolent q̄ ipsi nullam habent claritudinem ac amplitudinem. Item, in pontificia religiōe longus catalogus recitatus est mortuorum ex libro, in publicis concionibus. Pauperes igitur putauerunt se coram Deo obscuros, quòd nō potuerint facultatibus suis emere publicam ipsorum & familiæ eorum mentionem. Paulus autem in hoc loco significat, quomodo possit quis ueram claritudinem consequi. Quorum nomina (inquit) sunt in libro uitæ. Danda igitur est opera, ut sis in libro uitæ scriptus, tunc habes claritudinem cœlestem, & eris illustris in cœlo & in terra. In memoria, inquit, æterna erit iustus, & ab auditione mala non timebit. Deinde qui scriptus est in hoc libro, est in perpetua protectione Dei. Non potest ei nocere nec paupertas, nec

Q

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

morbus, nec mors ipsa. Habet enim
 publicum & saluum, ut uocant, con-
 ductum, etiam aduersus Satanam.
 Et hæc protectio nunq̃ non est fir-
 ma. Suscipiunt & principes huius
 seculi subditos in suam protectionē.
 Sed exempla testantur, quòd multi
 spolientur à latronibus, etiam si pro-
 missa sit eis publica protectio. Quos
 autem suscipit Deus in suam prote-
 ctionem, hi semper tuti sunt, etiam si
 ingrediant̃ in mediam mortem. Sus-
 cipit autem in suam protectionem
 eos, qui scripti sunt in libro uitæ.
 Quæso igitur te, qua ratione conse-
 quar, ut & ego in hunc librū conscri-
 bar? Breuis est responsio, Crede E-
 uangelio, crede in Christum, & secta-
 re uocationem Christi obedienter,
 tunc statim nomen tuum in hunc li-
 brum inscribitur. Quòd si uero incre-
 dulus fueris, & ambulaueris in scele-
 ribus, tunc etiam si nomen tuū scrip-
 tum fuerit in hoc libro, delebitur.
 Sicut

EXPLICAT. IOAN. BRENT. 172

Sicut suprâ è Psalmo lxviij. dictum est: Deleantur de libro uiuentium, &c. Et Hiere. xxij. Si lechonias fuerit annulus in manu dextera mea, inde euellam eum, &c. Habes quid sit liber uitæ, uidelicet, Christus ipse. Curandum est igit, ut in ipsum per fidē conscripti simus, & maneamus in eo per fidei obedientiam.

GAUDETE IN DOMINO SEMPER, ITER VM &c.

Alia exhortatio. Iubet Paulus Philippenses suos semper gaudere, & ne quis existimet ei hoc uerbum temerè excidisse, repetit: Iterum, inquit, dico uobis, gaudete, ut intelligatis hanc meam exhortationem esse seriā. Quid ergo dicemus? Quomodo aliās dicitur: Væ uobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis? Et quomodo fieri potest, ut hoīes in hoc mūdo semper possint gaudere, cū magis accidāt eis aduersa q̃ prof.

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

perat. Ridendum ne est & gaudendum, in funere amicorum, in captiuitate proximi. Primum, Paulus non loquitur de illo effuso & inepto risu, quem homines ebrij inter se excitant. Hic risus aut uerius tumultus, iudicatur etiam ab hominibus huius seculi inhonestus & fugiendus. Deinde non loquitur etiam de ciuili & alioqui honesto gaudio et risu, qui et suo tempore inter honestos tolerabilis est, tamen fit aliquoties, ut sit importunus, ut si quis gauderet & rideret publice in funere amici, aut in alijs calamitatibus proximi. Omne tempus, inquit Salomon, habet suum tempus. Est tempus gaudendi, est tempus flendi. Et Paulus alias inquit, Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Hoc enim est officium pie caritatis. Sed loquitur de gaudio & risu spirituali. Vnde non simpliciter dicit: Gaudete semper, Sed disertè addit, In Domino. Quid ergo est gaudium

um spirituale? quid est gaudium in Domino? Si rectè definieris, nihil certè aliud est, quàm gaudium illud, quod concipit mens ex certitudine bonorum spiritualium, quæ contingunt credenti propter Iesum Christum. Nam Euangelion Christi docet, quod deus sit placatus nobis propter Christum, & remittat peccata, reputet nos iustos, adoptet nos in filios & heredes omnium cœlestium bonorum propter Christum, Et quod nulla sit afflictio, nullum mortis genus, quod possit esse detrimento his, qui sunt in Christo. Cùm ergo humana mens adhibet huic Euangelio fidem, tunc concipit talem securitatem & tranquillitatem, ut etiamsi fractus illabatur orbis, tamen non abiiciat animũ, sed semper læto sit corde in conspectu Dei, nimirum certa, quod nulla afflictio, quamvis grauis, possit ei incommodo esse coram Deo. Hæc securitas, hæc tranquillitas orta ex cer

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

titudine Euangelij Christi & fide,
dicitur gaudium spirituale, seu gau-
dium in Domino. Itaque fieri solet,
ut in uno pio homine simul sit ex-
ternus fletus seu tristitia in hoc mū-
do, & uerum ac spirituale gaudium
acrisus in Domino. Vide mihi lo-
bem. Is amittebat liberos incen-
dio, & facultates suas ex irruptio-
ne hostium. Hæc certè calamitas
non potuit externo & effuso risu
excipi, Sed attulit ei magnum dolo-
rem. Interim tamen, quia fuit uir
pius, retinuit gaudium in Domi-
no, & lætatus est spiritualiter, quia
certus fuit, quòd hæc calamitas non
sit ipsi exitio, sed præparationi ad
maiores coram Deo fœlicitatem.
Sume etiam exemplum à Dauide.
Hic eiiciebatur à filio è regno suo.
Fuit ergo tunc tempus flendi. Sed
Dauid in medio fletu retinuit gau-
dium spirituale, quia cognoscebat
ex promissione Dei, quòd Deus ef-
set

set ipsi propicius, & quòd hoc exilium non esset ipsi damno. Christus ipse captus & cruci affixus, afficitur quidem tristitia usque ad mortem, attamen gaudet spiritualiter: Hodie, inquit, mecum eris in paradiso. Et paulò antè: A modo uidebitis filium hominis sedentem à dextris Dei, & uenientem in nubibus. Sic & Paulus gloriatur in uinculis suis. Vincula afferunt tristitiam, Certitudo autem diuinæ gratiæ affert gaudium & gloriationem. Gloriamur, inquit, in afflictionibus. Et, libant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quòd digni fuissent pro Christi nomine pati. De hoc ergo gaudio concionatur Paulus Philippensibus, & danda est opera, ut hoc gaudium retineamus semper in aduersis. Sequitur alia exhortatio.

MODESTIA VESTRA NOTA
SIT OMNIBVS)

Hac exhortatione monet nos Pau

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

lus, ut cum omnibus hominibus modestiam seu æquitatem seruemus, & non exigamus summo iure, quod nobis debetur, nec interpretemur aliorum uel dicta uel facta seueriter, sed iuxta æquitatem & rectam moderationem. Nam ἐμεκὲς, quod interpretantur modestiam, significat moderatam æquitatem, quæ adhibetur ad mitigandam seueritatem legum. Inter pios ergo nihil est summo iure agendum, sed secundum moderatam æquitatem. Vulgo dicitur: Summū ius, summa iniuria. Et germanicè: Zu scharpf macht schertig. Nam ut conseruetur humana societas, necessaria est moderatio inter homines. Magistratus si uoluerit omnia exigere summo iure, nihil erit durius. Paterfamilias, si à familia sua omnia pro summo iure exigat, non poterit conseruari incolumitas familiæ. Multa enim ignoscenda sunt, ad multa conuiuendum est. Ad eundem modum debent

debent & priuati inter se æquitatem seruare. Alius debet alteri aliquam summam pecuniæ, iam summo iure potest creditor debitorem omnibus bonis exuere, & in exilium adigere. Ac necesse quidem est, ut magistratus ad coërcendam helluonum insolentiã hoc ius exequatur: Sed si nusquam, in nullo casu, adhibeat aliquam equitas, magna erit crudelitas. Alius est ab altero iniuria affectus, qui potest & summo iure iniuriatorem conijcere in publicam infamiam. At summum ius, summa est iniuria. Hic seruanda est equitas ac modestia, et suscipienda est honesta transactio atque pacificatio. Sic & dicta & facta aliorum sunt interpretanda, nõ pro summa seueritate, sed pro equitate & humanitate. Imitandum est exemplum Dei, cuius serui sumus. Deus habet legem, cuius summo iure omnes homines essent damnati, sed adhibet æquitatem, dat Christum filium suum

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

pro pacificatore, qui reconciliat nos cum Deo, & instituit talem pacificationem, ut quotquot credunt in Christum, non damnentur. In oratione dominica dicitur: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c. Quare si uolumus, ut Dominus cedat de suo iure, certè cedendum erit nobis de nostro iure. Nota est parabola de duobus debitoribus, Matthæi decimooctauo. Seruus summo iure agebat cum conseruo, quare etiam quod remissum ei erat, repetitur. Nec est damnum, sed lucrum, quod quispiam de summo suo iure remittit. Quicquid enim relinquitur nomine pacis & tranquillitatis, hoc reputat Deus pro elemosyna. Et aliàs dicit Christus: Beati mites, quoniam terram hæredita-

DOMINVS PROPE EST, NI-
HIL SOLLICITI SITIS.)

Iussit

Iussit Paulus pios modestiam seu
 æquitatē præstare erga omnes ho-
 mines, Sed homini obsecuturo huic
 præcepto uaria incidere solent. Cogi-
 tat enim, Quid facias? Si sectaris
 equitatem, & cedis de tuo iure, mag-
 nam facies rerum tuarum iacturam,
 spoliaberis omnibus opibus tuis.
 Nihil tibi nec alimentorum, nec
 uestimentorum relinquetur. Quo
 igitur te uertes? Huic cogitationi
 obuiam procedit nunc Paulus. Et
 dicit: Nihil solliciti sitis. Non sit
 uobis curæ, etiamsi aliqua rerum
 iactura facienda est. Deponite om-
 nem rerum sollicitudinem, & uiuite
 alacres, læti, & securo animo. Sed
 hoc præceptum uidetur magis ab-
 surdum, quàm prius illud de remit-
 tendo summo iure. Quid ergo sibi
 uult Paulus hoc præcepto? Non
 iubet omnem sollicitudinem indiscri-
 minatim abijcere, & ducere uitam
 ignauam. Vnusquisq; enim debet

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

esse sollicitus, hoc est, studiosus, ut Deo obediat, ut uocationi suæ diligēter seruiat, ut officium suum legitimum faciat. Vnde & Paulus ij. Corinth. xi. dicit se curam & sollicitudinem omnium Ecclesiarum habuisse. Et suprâ dixit Timotheū synce-
rè fuisse sollicitum pro Philippensibus. Quare si sollicitudinem intelligas pro studio, certe ea ab omnibus exigitur. Omnium enim hominum est studiose facere, quod est sui officij. Sed hoc loco cum Paulus prohibet sollicitudinē, uetat ne quis suscipiat impiam & sceleratam sollicitudinem. Hæc autem dicitur impia sollicitudo, quæ coniuncta est cum peccato, & impellit ad peccatum, uidelicet, cum homo sic est de imminente periculo sollicitus, ut caueat, & studeat periculū cauere impietate, peccato & sceleribus. Exempli gratia: Saul sollicitus fuit de regno suo, ne amitteret illud, sed liberis suis conseruet. Et hæc

hæc sollicitudo per se nondum fuit impia. Liberis enim relinquere hereditatem regni, nō est per se impium: sed cūm hæc sollicitudo sic eum perfundat, ut persequatur innocentem Dauidem, & quanquā sentiebat Dauidem esse in regem uocatū, tamen studet regnum suum contra ordinationē Dei ad liberos suos transmittere, tunc demum facta est impia sollicitudo, quæ uerbo Domini prohibetur. Aliud exemplū: Pontifices & Pharisei solliciti erāt, ne amitterēt gentem & regnum suum, neue tota regio à Romanis deuastaretur. Hæc sollicitudo adhuc est non tolerabilis tantum, sed & commendabilis. Sed cūm hæc sollicitudo impellit eos ad persequendum Christum innocentē, ut occasione eius caueant imminens periculum, tunc fit impia sollicitudo. Aliud: Paterfamilias sollicitus est, ut alat familiam suam, ne fame intereat. Hæc sollicitudo natura-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

lis est, nec est per se damnanda. Sed
 cū impellit eum ad imposturas, ad
 furta, ad latrocinia, tunc fit impia
 sollicitudo. Et ut de exemplo Pauli
 dicamus, Iussit Paulus antea pios
 seruare æquitatem, & non exigere
 summum ius, ne fiat summa iniu-
 ria. Qui autem remissurus est ali-
 quid de summo suo iure, sollicitus
 fit de iactura rerum suarum. Et hæc
 sollicitudo nondum est condemnan-
 da. Sed cū adigit hominem, ut ma-
 lit suscipere contentiones, & turba-
 re pacem, & sese quoquo modo po-
 test vindicare, ut suum ius retineat,
 etiam si peccet, tunc fit impia sollici-
 tudo. Sic ergo non debemus esse sol-
 liciti, uidelicet, ne peccemus. Nam fi-
 eri non potest, ut per peccatum me-
 deamur sollicitudini, & caueamus
 pericula, sed potius augemus sollici-
 tudinem & pericula, adeoq; quod ti-
 memus, accidit nobis, si studeamus
 id peccatis ac scelerib. cauere. Quid
 ergo

ergo, inquis, in metu periculorum et sollicitudine faciendum est? Docet & hæc Paulus: In omni (inquiens) precatione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones uestre innotescant apud Deum. Precatio est, cum petimus, ut liberemur à malis. Obsecratio, cum petimus, ut contingant nobis bona. Gratiarum actio, cum declaramus, tum uerbis tum factis, q̃ præstita beneficia sint nobis accepta. Docet ergo Paulus, quòd in sollicitudine & metu futurorum periculorum, non debeamus suscipere consilia peccandi, sed potius obediendi Deo, & offerendi Supplicationes nostras coram Deo, & petamus à malis liberari, & bona nobis donari, & ut gratias agamus pro beneficijs antè acceptis. Nam quemadmodum prudentes uiri solent consilere oppressis, & conquerentibus de iniuria proximi, non ut seipsos ulciscantur, & suscipiant bellum ge-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

rendum aduersus proximum, sed ut offerant magistratui libellum supplicem, in quo exponant suam calamitatem, & petant auxilium eius: ita & Paulus prudentia spiritus sancti ornatus, docet sollicitos & metuentes pericula, non ut peccent aduersus Deum, sed ut Deo offerant libellum supplicem per orationem & precationem. Nouit quidem ante Deus, quid nobis acciderit, sed uult ut & nos per orationem ipsi exponamus, quò fides nostra excitetur, & misericordia eius per nos illustretur. Sed quid si Deus reijciat, nec exaudiat supplicationem nostram? De exauditione Dei nihil est dubitandum. Dicit enim Paulus: DOMINVS PROPE EST. Non fit hinc sermo de essentia Dei, qua Dominus semper ubique prope est omnibus creaturis. Coelum & terram implet. Per ipsum uiuimus, mouemur & sumus. Sed fit sermo de fauore, de clementia, de gratia & exaudi

tiōe Dei. De hac Dei propinqtate dicitur Psal. cxxxiiiij. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eū, inuocantibus eum in ueritate. Hi autē inuocāt Deū in ueritate, qui manent in Dei uocatiōe ac obedientia, ac cōfidentes de fauore Dei, propter Christū, precant ex fide. Sume exemplū unū aut alterū ex ijs, quę suprā recitauimus, Paterfamilias sollicitus est de alimentis familię, & metuit famē. Quid faciat? Num medebitur huic sollicitudini furtis & imposturis? Nequaquā, sed offerat Domino supplicationem in ueritate. Quomodo? Primum perseueret in obedientia Dei, non sectetur imposturas, deinde credat Deum esse ipsi propiciū propter Christum. Postremò inuocet Deum ex hac fide, & pergat in uera obedientia. Hoc est Deum inuocare in ueritate.

ET PAX DEI, QVAE EXVPERAT OMNEM

R

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

Hæc siue sit precatio & optio, siue uaticinatio, certè diligenter consideranda est, quid sibi uelit. Vocabula huius dicti non sunt nobis ignota, sed sensus & usus eius fortassis non est cuius cognitus. Pax, inquit, Dei, quæ exuperat omnem intellectum, custodiat &c. Primùm dicendum est de pace Dei. Est enim & pax huius mundi, quæ & ipsa est maximum beneficium, & diligenter à Deo petendum. In pace enim non solum licet educare liberos honestè, & publicè ac priuatim negociari, sed etiam dare operam audiendo & discendo uerbo Dei. Vnde Paulus aliàs iubet orare pro magistratu, ut uitam ducamus tranquillam cum pietate. De hac autem pace Paulus nunc in hoc loco ad Philipenses non loquitur, sed de pace Dei, quæ per Christum contingit, Sicut & Christus ipse apud Ioannem ait: Pacem, meam do uobis, non quam mundus

mundus dat, &c. Videamus igitur quæ sit pax Dei, præsertim cùm Paulus addat, quæ superat omnem intellectum. Dicitur autem pax Dei reconciliatio & pacificatio, quæ est per Christum instituta inter Deum & hominem. Hæc pax maiora affert hominì beneficia, quàm humanus intellectus comprehendere queat. Primùm enim efficit, ut Deus reputet hominem iustum, etiamsi gestet adhuc peccatum in carne & sanguine. Cùm autem sit sermo de præsentì & manente in carne peccato, non intelligimus crassos illos fructus peccati, uidelicet, externum furtum, adulterium, latrocinium, imposturam, &c. Hæc peccata non remittuntur à Deo cùm perpetrantur, & cùm non agitur poenitentia. Sed fit sermo de peccato originali, semper in carne herenti. Hoc peccatum etsi præsens manet, tamen propter pacem Dei non imputatur.

PAX Dei
que sit.

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

tatur hominī credenti in Christum. Deinde pax Dei efficit, quòd Deus adoptet hominem in suum filium & heredem cœlestium bonorum. Hoc, sicut prius illud, de remissione peccati etiam in carne manentis, beneficium est inenarrabile, & quod superat omnem humanum intellectum. Nam quis iuxta humanam rationem iudicans, intelligere posset, quomodo filius hominis tot malorū obnoxius, & qui non aliter in hoc seculo affligatur, quàm filius diaboli, adoptatus sit in filium Dei, & factus sit, ut ita dicam, Deus ipse, nimirum, adoptivus? Adhęc pax Dei efficit, ut quæcunque aduersa accidunt hominī in Christum, huius pacis autorem, credenti, ea magis sunt ipsi commoda et lucra, quàm incommoda et damna. Superat & hoc beneficium omnem humanum intellectum. Quis enim intelligat humana ratione, quomodo fiat, quòd paupertas & egritudo, & aliæ afflictio-

afflictiones magis prosint quàm ob-
sint: Postremò pax Dei efficit, quòd
Deus seruet hominem in morte, ut
non moriatur, sed habeat æternam
uitam. Quid hoc beneficio admirabi-
lius coram humana ratione? Hæc e-
nim, quia uidet hominem mori, sicut
brutum animal, putat etiam animã si-
mul cum corpore interire. Etsi enim
humanę rationi aliquo modo cogni-
ta est immortalitas animæ, tamen in
tentationibus excutitur & hæc cog-
nitio, ut sentiat neq; Deũ esse, neq;
animam esse immortalem. Cùm igitur
pax Dei tãta beneficia affert, op-
tat Paulus, ut Philippenſium corda
& cogitationes hac pace conseruen-
tur & custodiantur. Sed quomodo,
inquis, hoc solet fieri? Et quid facere
debemus, ut hac pace custodiantur
corda nostrã? Recenseamus ergo a-
liquot cordis ac mentis cogitatiões,
& tentationes, ut etiam cognosca-
mus, quomodo corda custodiantur

pace Dei. Principio, cū reuelatur hominī iudiciū de peccato & de ira Dei, tunc oriuntur in corde & mente uariæ cogitationes. Metuit enim cor, ne Deus abiecerit hominem, ne uelit eum perpetuo damnare, aut saltem ne habeat ullam eius rationē, sed sinat eum perire. Quid ergo sit? Nisi custodiatur cor, ruit in desperationē & perpetuam inter necionem. Custoditur autem pace Dei, uidelicet, ut consideremus per fidem, quod Christus instituerit inter Deum & hominem pacificationem, & reconciliationem, qua Deus recepit se hominī peccata remittere. Deinde cū irruunt uariæ calamitates, uidelicet, paupertas, morbus & aliæ afflictiones, tunc humana mens cogitat se derelictā à Deo, nec ullum esse cœleste auxilium. His cogitationibus perit cor & animus hominis, nisi sustentetur. Sustentabitur autem pace Dei, cū cōsideramus,

sideramus, q̄ instituta sit inter De-
 um & hominem pacificatio, his con-
 ditionibus, ut nulla calamitas sit ho-
 mini incommoda. Postremò cū ue-
 nit mors, hīc tum oriuntur uariæ co-
 gitationes in corde. Cū enim homo
 non uideat nisi presentem mortem,
 cogitat se abire in æternū nihil, sicut
 fuit antea, cū nondum natus esset.
 His tētationibus homo perit, nisi cu-
 stodiatur. Custoditur autem pace
 Dei, qua factum est, ut Deus con-
 seruet hominem in media morte ad
 æternam uitam. Quare cū Pau-
 lus optat Philippensibus, ut custo-
 dian- tur corda eorum, pace Dei, exu-
 perante oēm humanū intellectū, cer-
 tē optat eis maximā fœlicitatē. Addi-
 tur autē: In Christo Iesu. Hec est neces-
 saria additio, q̄a pax Dei non contin-
 git homini suis meritis, sed tm̄ ppter
 Christū, qui est autor huius pacifica-
 tionis. Non enim potest ullus hoīm
 inueniri, qui Deum reconciliaret cū

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

homine, Adam, Noë, Abraham, Esaias, & reliquus cœtus piorum, fuerunt quidem uiri sanctissimi, non tamen potuerunt esse mediatores & reconciliatores inter Deum & hominem. Quare ut in nullum hominem, quamuis sanctum, ita in nullum humanum opus est confidendum. Necesse igitur fuit, ut filius ipse Dei susciperet hoc negocium, & expiaret iram Dei suo opere, suo uidelicet sacrificio. Quare in solum Christum confidendum est, & Euangelio huius obediendum, cum omnes qui in Christo per fidem consistunt, sint pacificati & reconciliati cum Domino Deo nostro.

QVOD RELIQVVM EST FRATRES, QVAECVNQVE
SVNT VERA &c.

Addit Paulus epilogum, in quo summam comprehendit omnia genera bonorum operum ac uirtutum, quas p̃i sectari debent. Facit autem
hoc

hoc suo quodam consilio. Primùm proponit genera uirtutum summam, quia omnia speciatim & singulatim in breui epistola cōprehendi non possunt. Deinde suprà dixit, se præ Christo arbitrari opera legis damna & stercora esse. Quare ne quis senti at Paulum damnare bonas & honestas uirtutes, quas Deus exigit, proponit nunc præcipua earum uirtutū genera, & iubet ea diligentissimè sectari. Hæc, inquit, cogitate, quæ et didicistis, & accepistis, & audistis, et uidistis in me, hæc facite. Quæ ergo sunt illæ? Primùm, Quæcunq; sunt uera. Verum opponitur ficto aut falso. Paulus igitur non uult pios esse hypocritas, & facere fictitia opera, quæ nullum habent testimoniū uerbi Dei, sed exigit uera bona opera, ueras uirtutes. Fictitia autē opera sunt, phylacteria Phariseorum, fimbriæ scribarū, cuculli & funes monachorum, non uti calceis coriaceis, sed lig-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

neis, religionis gratia, & infinita id genus alia. In his operibus neq; Christiana neq; politica iusticia consistit, sed facienda sunt uera opera, quę uerè bona sunt, & habent testimoniũ uerbi Dei. De his operibus extat de calogus. Deinde addit: Quęcunq; sunt σεμνὰ, hoc est, ueneratione digna, & quę habent aliquam in se grauitatem ac reuerentiã. Quo nomine exigit Paulus, ut Christiani non sectentur artes ridiculas, iocularias, scurriles ματαιοτεχνίας, qualis fuit illius ars, qui grana ciceris ex spacio distante missa, in acum continuè & sine frustratione inferebat, quem cùm spectasset Alexāder, donasse dicitur eiusdē leguminis modio. Quod quidem præmiũ fuit illo opere dignissimum. Tales sunt funambuli, prestigiatores, gauckler, himelreicher, & c. Hæ artes nullam habent uenerationem, nullam grauitatem, & indignæ sunt artis nomine.

nomine. Quare exigit Paulus, ut Christianus ab his artibus caueat, & sectetur honesta, siue illa opificia reipublicæ utilia ac necessaria, siue alias honestas uocationes. Sequitur: Quæcunque iusta. Non solum sectanda sunt honesta, seu studia seu opificia, sed etiam iusta, hoc est, in honestis studiis & opificibus iustè agendum est. Multa enim sunt genera uitæ per se honesta et pia, sed homines abutuntur his ad iniusticiam. Honestæ est mercatura. Sed sunt qui in mercatura dant operam imposturis. Emptiones & uenditiones & permutationes sunt contractus per se liciti. Sed nonnulli uendunt frumenta iniustè, quia exponunt ipsa carius, quàm forum ferat, propter dilationem solutionis. Alij emunt aliena debita minimo precio, quæ emptio etiam si aliquoties licitè fieri potest, tamen habet malam speciem. Alij hoc solum agunt, ut permutent

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

equos, quæ negociatio uix fieri potest absq; imposturis. Hæc iniusta fugienda sunt Christiano, & facienda sunt iusta, secundum legem Dei & politicas ordinationes. Hoc præceptum referendum est ad illud decalogi: Non fureris. Deinde addit, Quæcunq; pudica. Hic exigitur honesta pudicitia in coniugio, & extra coniugium. Incessus, uestitus, uerba, colloquia, saltationes, choreæ, carmina, dicta et facta omnia Christianorum debent esse pudica. Hoc præceptum refertur ad illud decalogi: Non moechaberis. Postea sequitur, Quæcunq; προσφιλῶν, hoc est, grata & plausibilia hominibus. Non iubet Paulus peccare in gratiam hominum, sed ea iusta, ea pia & recta facere, quæ hominibus grata sunt. Quid autem est hominibus gratum & amicum: Seruare fidem promissam, iustè negocium administrare, subuenire egeno, honorare personam senis, moderari affectui

affectui iræ. Archytas dixit ad uillicū
 neglectorem: Sumerem de te suppli-
 cium, nisi tibi iratus essem. Hæc uir-
 tus tam admirabilis uisa est homini-
 bus, ut eam literis mādauerint. Athe-
 nis quidam ultimæ senectutis, cū
 spectatum ludos in theatrum uenisset,
 eumq; nemo ē ciuibus sessum re-
 ciperet, ad Lacedæmonios legatos
 fortē peruenit, qui etate hoīs moti,
 uenerati sunt eum a surgēdi officio,
 & sedem inter ipsos dederūt. Quod
 ubi populus aspexit, comprobauit
 hanc uirtutem maximo plausu. Hęc
 et id genus alia, quę pia & iusta sunt,
 ac hominibus placent, sectanda sunt
 Christiano. Vnde & additur: Quę-
 cunq; boni nominis, si qua uirtus, si
 qua laus, hæc, inquit, cogitate, hæc fa-
 cite, &c. Quid autem pro his conse-
 quentur pñ? Deus, inquit, pacis erit
 uobiscum. Si hæc sectemini, tunc du-
 cetis uitam tranquillam, beneficio
 Dei. In cœlis habetis quidem regnū

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

paratum propter Christum, nec potestis illud consequi uestris meritis, quia datur uobis tantum ex gratia & clementia. Sed si uolueritis etiam in terris tranquillam uitam ducere, quantum quidem in hac rerum perturbatione licet, tunc sectandæ sunt uirtutes illæ, de quibus Paulus hæcenus nos admonuit, &c.

GAVISVS SVM IN DOMINO
MAGNOPERE, &c.)

Philippenses miserunt Paulo per Epaphroditum pecuniam, qua suam inopiam sustentaret, quemadmodum postea copiosius exponitur. Quare Paulus significat nunc hoc beneficium & hanc beneuolentiam fuisse sibi gratissimam; Gavisus sum, inquit, in Domino magnopere, quod uel tandem iterum mei memineritis, & mihi munera uestra miseritis, id quod aliquandiu intermisistis, non quidem quod defuerit uobis uoluntas, sed

sed defuit opportunitas. Sed adhuc dicet quispiam Momus: Quid? Paulus uehementer gaudet de missa & donata pecunia, & interim perstringit Philippenses, quod non frequentius ei dona miserint. Dicit enim, iam tandem reuigistis, hoc est, refluuistis; quasi diceret, fuistis iam aliquandiu tardiores, & quasi marcidi & aridi, nunc autem refluuistis, & iterum fertis fructum. An non hæc sunt argumenta auariciæ? Sunt ergo & Apostoli auari? Et quis horum ac aliorum sacrificulorum auariciam exple re posset? Has cogitationes Paulus facile in quibusdam, qui nihil non reprehendere & calumniari in ministris ecclesiæ solent, exoriri intelligit. Quare exponit causam suæ leticiæ. Ac primum amolitur à se suspicionem auariciæ, & proponit in se optimam & utilissimam formam eius affectus, quem unusquisque pius in omnibus, quæ ei in hoc seculo

accidūt, habere debet. Didici, inquit, contentus esse his, in quibus sum, hoc est, rebus præsentiis, siue sint diuitiæ, siue paupertas, siue abundātia, siue penuria. Noui humilis esse, hoc est, in abiecto uitæ genere uersari. Noui & excellere, hoc est, clarus et nobilis esse. Noui saturari, nō quidem helluari, sed satis ciborū in lauto cōuiuio accipere, noui & esurire. Noui abundare, hoc est, diues esse, noui & penuriā pati, & pauper esse. Omnia possū per Christū, qui me corroborat. Hæc est sapientia & potentia, qua unusquisque pius Christianus præditus esse debet. Alij unam tantum harum scientiam & potentiam habent. Nam filij huius seculi uolunt tantum scire & posse, diuites, gloriosi, abundantes et saturi esse. Non possunt esse pauperes & abiecti, famelici & inopes. Hypocritæ autem sentiunt, pios debere tantū esse sordidos, abiectos, & ieiunos. At pius Christi-

anus

anus debet utrunq; nosse & posse,
 uidelicet, ut quicquid acciderit, aut
 Deus immiserit, æquo animo ferat,
 & obedientē sese exhibeat erga De-
 um, nec peccet, siue contingant diui-
 tiæ, siue paupertas. Hanc scientiam
 nouit Iob, qui tam in diuitijs, quàm
 in paupertate perdurauit in obedi-
 entia, & dixit: Dominus dedit, Do-
 minus abstulit. Nouit & David hanc
 scientiā, qui potuit & opilio esse &
 rex. At tam in regno, q̃ in exilio ser-
 uauit obedientiam erga Deum. Sic
 & Moses nouit agere pastorem ou-
 um, & pastorem populorū, hoc est;
 abiectus & clarus esse, abundare et
 penuriam pati. Hanc autem scienti-
 am nemo potest rectē ex naturali
 sua ratione ac uoluntate concipere,
 sed necesse est, ut discamus et accipi-
 amus eam à Christo, per spiritū san-
 ctum, & Euangelion, quod est or-
 ganō spiritus sancti. Omnia, inquit,
 possum per Christum me corrobo-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

rantem. Videamus ergo quomodo
Euangelion docet nos hanc scientiā,
ut et nos eam discamus. Est enim uni
cuius pio necessaria. Nam Euange-
lion docet, quòd Christus recōcilia-
uerit nos cum Deo patre, & q̄ hæc
terrena bona, nō sint uera bona, sed
ea demū sint uera, quę cōparauit no-
bis Christus, uidelicet remissio pec-
catorū, Adoptio in filios Dei, cōser-
uatio in morte, & uita eterna. Ergo
qui hoc credit, et accipit Christū per
fidem, is nouit etiam per Christū di-
ues esse, ac diuitijs recte uti, quia nō
confidit diuitijs, sed Christo, nō pec-
cat propter diuitias, sed manet in ob-
sequio Christi redemptoris, et dat o-
perā, ut sit diues bonis operibus, et
adiuuandis pauperibus. Deinde, E-
uangelion docet Christum suscepisse,
sine personarū respectu, paupe-
res & egenos, sicut et ipse pauper fu-
it: Venite, inquit, ad me omnes qui
onerati estis, &c. Nemo aut̄ inter af-
flictos

flictos huius mūdi magis oneratus
 uidetur q̄ pauper. Quare qui ag-
 noscit Christū fauere pauperibus, is
 etiā grato animo suffert paupertatem
 certa fiducia concepta, quòd satis di-
 ues sit, qui cū Christo pauper sit. Di-
 cit Paulus aliàs ij. Corin. vi. Tanq̄
 nihil habētes, & omnia possidentes:
 (hoc est) nihil p̄pmodū externarū
 diuitiarū habemus, attamē capimus
 fructū etiam maximarum diuitiarū:
 quia quod aliī capiunt è suis diuitijs,
 nos capimus è nostris minimis bo-
 nis, propter Christū, ad quem solum
 aspiramus, & in quo solo acquiesci-
 mus. Idem dicendum erit de illustri
 & obscuro uitæ genere. Nam E-
 uangelion docet, apud Christum
 non esse personarum respectum,
 siue quis dominus fuerit, siue ser-
 uus. Quare qui illustris est in hoc
 seculo, & credit in Christum, is ag-
 noscit per Christū, quòd non maior
 sit coram Deo, propter humanam

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

gloriam, sed potius minor, iuxta illud: Qui inter uos maior est, minor sit. Itaque manet in obedientia, non contemnit proximum, sed demittit se ad præstanda officia proximo. Non grafsatur crudeliter in malefactorem, sed fert inimicum æquo animo. Alexander Magnus cum accepisset quendam, qui impeteret ipsum conuictis, Regium est, inquit, cum benefeceris, malè audire. Imo Christianum est, cum fueris rex, non uindicare iniurias. Maxima uirtus Alexandri fuisset, si accessisset cognitio Christi. Deinde Euangelion docet, q̃ Christus confiteatur, & illustrem reddat eum, qui ipsum coram hominibus confessus fuerit & glorificauerit. Ergo qui uiuit in obscuro uitæ genere, & credit in Christum, æquo animo fert obscuritatem, propterea quòd sciat se corā uniuerſa cœlesti militia propter Christum illustrem esse.

ATTA.

EXPLICAT. IOAN. BRENT. 129

ATTAMEN RECTE FECISTIS
QVOD SIMVL &c.

PAulus instituit laudationem liberalitatis Philippensiū erga se. Nā Philippenses antea bis miserūt Paulo pecuniam, cūm esset Thessalonicae, ita & miserūt ei ad Romam per apostolū suum Epaphroditum. Laudat igitur hanc eorū liberalitatem, et tamen ut amoueat à se suspiciōem auaritiæ, loquitur aliquoties quasi cōtemptim de donis ad ipsum missis. Nō iuxta penuriam, inquit, loquor, &c. Noui saturari & esurire, noui abundare & penuriam pati &c. Et nūc addit: Non q̄ requiram munus &c. Hæc significant Paulum apostolico & generoso animo præditum, non hoc agere, ut alienis laboribus in ocio fruatur, sicut hætenus monachi: nec magnificare ista aliorum dona, quantum quidem ad se attinet: nec ita admirari aliena mune-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

ra, ut propter ipsa aduersus Deum
 peccare uelit, & impietatem uel ap-
 probare, uel ad eam cōnuere, Sicut
 inertes et ignaui homines solēt prop-
 ter unam mēsuram uini aut cœnula,
 quoduis scelus designandū suscipe-
 re. Sed ne Paulus uideatur damna-
 re, ac tanq̃ pedibus conculcare pio-
 rum beneficia, instituit nunc laudati-
 onem eorū beneficiorū, quę p̃i con-
 ferunt in apostolos, in egenos, & ali-
 os, quibus ea debentur. Cōmemo-
 rat quidem, quid beneficij contule-
 rint in ipsum priuatim Philippenses,
 sed in ea cōmemoratiōe spargit qua-
 si semina uerborū, quibus significat,
 quāti fiāt in cōspectu Dei beneficia,
 quę p̃i cōferūt in apostolos, in mini-
 stros ecclesie, & in egenos, in nomi-
 ne Christi. Ac initio facit mētionem
 Rationis dandi & accipiendi. Postea
 quoq̃ dicit fructū exuberantem ad
 Rationē uestram. Nomine aut Rati-
 onis, intelligit hoc loco Registrū, ut
 nos

nos loquimur, in quo conscribuntur accepta & expensæ. Itaq; significat Dñm Deum nostrum habere Registrũ, in quo cõscribat omnia ea, quæ nomine eius in apostolos & egenos cõferuntur. Nõ sunt quidẽ tam crassa negocia in cœlo, quòd beneficia piõrũ conscribantur externo atramento & papyro, sed quia nobis pro nostra imbecillitate necesse est humana transferre ad diuina, explicamus p nomẽ Registri & inscriptionis, memoriam, ut ita dicã, et gratiã dei, qua ille agnoscit & beneuolo animo accipit ea beneficia, quæ pii præstāt suis. Dixit enim: Quicumq; dederit in nomine meo, uni ex minimis meis, poculũ aquæ frigide tantũ, nõ perditurus est mercedẽ suam. Inter minimos aut, quos Christus ecclesię suæ cõmẽdauit, primũ sũt apostoli et ministri ecclesię, q; prædicarũt Euãgeliõn Christi. Potuisset enim Christus ex Apostolis & ministris suis facere

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

principes & reges huius terræ, Sed
 uoluit eos pauperes esse, & alienis
 stipēdijs uiuere. Quare iussit ecclesi-
 am eis benefacere, & inopiam eorū
 sustentare, ut experiētia discat, quo
 animo ecclesia erga Christū ipsum
 affecta sit. Nā quod Christus uidet
 conferri in ministrū suum, hoc idem
 sentit homines in ipsum collaturos,
 si adhuc præsens in terra uitā ageret.
 Deinde inter minimos sunt uiduę et
 pupilli. Posset & illos Deus nutrire
 & conseruare mirabiliter de cœlo, si
 cut Israēlitas in deserto conseruauit,
 sed finit eos pauperes, et proponit e-
 os pijs alendos, ut p̄bet fidē et carita-
 tem eorū. Si enim nihil cōfertur his,
 tūc ne Christo quidē ipsi aliquid con-
 ferretur. Postremo inter minimos
 sunt alij pauperes aduenticij & indi-
 genæ, Posset Deus etiam hos sine
 hominum ope conseruare, sed si-
 nit eos pauperes, & iubet eos a-
 lere, ut uideat, num homines o-
 bediant

bediant uocationi Dei. Sunt quidem multi pauperes, qui sceleribus suis meriti sunt paupertatem. Sed quid facias, cū iam non solum sunt pauperes, sed etiam senes et infirmi, ita ut ne pedibus quidem consistere possint? Nō deferendi sunt? nequaquam. Deus enim iussit tunc legitimè punire scelera, cū est tempus puniendi. Postquā autem ipse suscipit aliquem puniendum, tunc iubet homines misereri & opem ferre. In familia domestica, seruus non debet blandiri filio peccanti, sed potius pro sua modestia obiurgare. Postq̃ aut pater punit filiū, ibi tum nō licet seruo filiū increpare, sed debet ei blandiri, et patris irā placare. Eodē modo habere se debēt mores familię dei, ut familiares Dei tū arguāt peccatores p̃ suo officio, cū peccāt, et cū deus ad huc cōiuet. Postq̃ aut Deus incipit peccatores punire, tūc pręstāda sunt eis omnia quę possumus humanitate

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

& beneuolentię officia. Deus em̄ nō
constituit nos uindices, cū ipse sus-
cipit uirgam in manū, sed iubet nos
esse misericordes erga afflictos. Fin-
gamus talem casum. Si quis uideret
uicinum ascensurū in arborem, ē qua
uix fieri posset, quā decideret, ac
crura sua frangeret, an non hoc esset
humanitatis, ut moneret eum, ne as-
cenderet? Sed cū ille neglecta mo-
nitione, nihilominus ascenderet, ac
postea decideret, & iaceret in terra
fractis cruribus miserrimus, num nō
negligendus tantum esset, sed etiam
insiliendum esset in eum pedibus, ut
et manus eius contererent? Meritus
quidem esset neglectiōem suā ino-
bedientia, Sed officium exigit, ut ad-
iuuetur. Sic de paupere quondam
scelerato sentiendum est, &c. Habes
qui inter minimos sunt numerandi.
Nunc uide quibus rationibus Pau-
lus significet his minimis benefacien-
dum esse. Initio, ut suprà dixi, propo-
nit

ponit Registrum Dei, quo significat
oīa beneficia his minimis collata, es-
se gratissima Deo, nec Deū unq̃ oblī-
uisci eorū, sed uelle compensare max-
imis beneficijs. Vnde & postea uo-
cat ea beneficia, fructū exuberātem
in ratione, seu Registrū, quōd Deus
conscribat in registrū suum beneficia
his minimis collata &c. Aliās dicitur,
Qui parcē seminat parcē metit. Et
qui sementem facit libenter, ac benig-
ne largiendo, copiose messurus est.
Itaq; pīi eleemosynarij sunt optimi
negociatores. Reponunt enim pecu-
niam suam in cōelum, &c.

ODOREM BONAE FRA-
GRANTIAE &c.

Paulus ornat insigni cognomine et
epitheto dona, quę ipsi à Philippen-
sibus missa sunt. Vocat em̃ ea Odorē
bonę fragrantie, hostiā acceptā & gra-
tam Deo. Quid hoc sibi uelit epithe-
ton, operæ precium est summa dili-
gētia cōsiderare. Nam in lege Mosai-
ca holocausta & reliqua genera sacri

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

ficiorum accēsa igni in oblationem,
 uocantur odor suauissimus Domi-
 no, & hostia Deo accepta. Cū e-
 nim Abel sacrificaret, misit Deus
 ignem de cœlo, qui succenderet ob-
 lationem, ut Deus declararet hoc
 miraculo, hostiā Abelis sibi esse gra-
 tam. Et cū Noë egressus esset ex
 Arca, obtulit Domino holocausta,
 Quæ intantum placuerunt Deo, ut
 statim promiserit, se non amplius de-
 leturum homines diluuiō. In i. Samu-
 elis vii, Samuel offert holocaustum
 pugnantibus Israēlitis cum Philisti-
 nis, et Dominus statim ita terruit ho-
 stes, ut abiectis hastis fugam inie-
 rint. Cū igitur Paulus tribuit epi-
 theton hostiæ & odoris suaueolen-
 tis, donis, quæ ipsi missa erant, mani-
 festè significat, hæc dona Philippensi-
 um ita accepta esse Deo, ut propter
 ipsa daturus sit eis magna et multa
 beneficia. Nō solū autē scriptura tri-
 buit donis, quæ apostolis data sunt,
 hoc

hoc epitheton, sed tribuit etiam alijs
tam bonis operibus, quàm malis af-
flictionibus. Primum enim in episto-
la ad Hebræos cap. xiiij. confessio no-
minis Dei, beneficentia, & commu-
nicatio erga homines, uocantur ho-
stia & uictima. Et additur, Talibus
uictimis placetur Deo. Ergo erudi-
re familiam in doctrina pietatis, est
uictima, quam offert parens, & pla-
cet Deo. Item, dare egeno eleemosy-
nam, aut subuenire oppresso, defen-
dere iniuria affectum, sunt hostia &
uictima, quæ præbent Deo suauissi-
mum odorem, & sunt ei gratissimæ.
Deinde Paulus Ro. xij. uocat omnia
corporis nostri opera et afflictiones,
hostias & uictimas. Obsecro, inquit,
uos per miserationes Dei, ut præbea-
tis corpora uestra hostiã uiuentem,
sanctam, acceptã Deo, &c. Ergo q
ebulliente & efferuescente ira reprimi-
t eam, offert Deo hostiam. Item
qui castigat corpus, ne sit ineptum

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

ad suas functionēs: qui moderato est cibo et potu, offert Deo hostiam. Itē, qui non quærit uindictam, sed condonat proximo iniuriam, hostia est Deo gratissima. Item, qui suffert patienter aduersa, offert Deo uictimam. Vnde & sancti ipsi dicuntur holocausta, Sapientiæ iij. Tanquā aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Sed quid, inquires, ad hoc dicemus, quod in lege holocausta & uictimæ dicuntur esse peccatorū expiationes? Cū igitur omnia opera et afflictiones uocantur etiam nomine holocausti, & uictimę, nunquid sunt ea, quibus expiantur peccata? præsertim cū Danielis iij. dicitur: Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. Et Ecclesiast. iij. Aqua extinguit ignem ardētem, & elemosyna resistit peccatis, &c. Quid ergo ad ista dicendū erit? Hic considera mihi, q̄ sacrificia legis dicuntur

tur quidem expiationes peccatorum, & Deo grata, non autem propter seipsa, aut actiones operum illorum, sed tantum propter unicum sacrificium Domini nostri Iesu Christi, quod his fuit adumbratum. Hoc enim unicum sacrificiū, est vera peccatorum expiatio coram Deo, & reconciliatio cum Deo. Sic etiam opera & afflictiones piæ dicuntur sacrificia expiatoria pro peccatis, & Deo placere, non certè propter ipsorum operum actiones & passionem, sed tñ propter Iesum Christum, ex cuius fide uel fiunt uel sufferuntur. Certissimum enim est, quòd nullum opus humanū Deo placeat, nisi prius homo ipse placeat Deo. Nam quemadmodum inter homines, beneficium non est homini acceptum, quod ei exhibet inimicus, quem odit, & quem habet pro capitali hoste, ita Deo nullum opus hominis est gratū, nisi homo antea sit ipsi gratus. Deus

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

enim abominatur etiam manifeste
bona opera in impijs. Oratio eius (in
quit) fiat in peccatum. Cùm exten-
deritis manus uestras, non exaudiā,
etc. Et Eccl. xxxiiij. Qui offert sacri-
ficium ex substantia pauperum, qua
si qui uictimat filium in conspectu
patris sui &c. Quare necessariū est,
si uoluerimus Deo gratum offerre
sacrificium, & accepta officia facere,
ut nos ipsi prius simus cum Deo re-
conciliati & Deo accepti. Quomo-
do ergo efficimur Deo grati? Non
certē nisi per fidem propter Iesum
Christum. Si enim crediderimus in
Christum, quod ipse expiauerit pec-
cata nostra, tunc sumus Deo accep-
ti. Postea omnia opera & afflictio-
nes eius, qui est Deo gratus, erunt
etiam Deo accepta, non quidē prop-
ter actionum ipsarum merita, sed tā-
tum propter Christum. Sicut parēti
placēt etiā ineptiē pueri sui, quia pu-
er est gratus, quē alioqui esset ei ab-
ominabiles.

ominabiles. Quare cū scriptura uocat opera pīorum sacrificia, redemptiones peccatorum, ut apud Danielem, & Ecclesiasticum, non tribuit operibus maiestatem Christi, sed tantum uult significare, quòd hæc opera sint Deo grata, propterea quòd operans est gratus Deo propter Christum. De loco autem Danielis aliàs copiose dictum est.

DEVS AVTEM MEVS IMPLE-
BIT OMNE.)

Philippenses miserunt Paulo captiuo & afflicto munera, ut his succurrerent necessitatibus eius. Quare ut agat ipsis gratias, adnunciat eis hoc Euangelion, & hanc promissionem, quæ ad beneficos, & eos qui in necessitate succurrunt proximo, pertinet. Deus, inquit, meus supplebit quicquid opus fuerit uobis, &c. Deus gloriose iuxta diuitias suas succurret uestris necessitatibus, idque propter Christum, propterea quòd uos

T

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

succurreritis meæ necessitati. Quod Paulus dicit, non est humanum somnium, sed diuinum oraculum. Hæc enim est ordinatio Dei, quod uelit liberalissimus esse erga eos, qui sunt liberales erga afflictos & indigentes auxilio. Psalm. xl. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Dominus cōseruabit eum & uiuificabit, &c. Prouer. ix. Fœneratur Dño, qui miseretur pauperis, & uicissitudinẽ reddet ei. Et Psal. cx. Dispersit dedit pauperibus, iusticia eius manet in seculũ seculi. Et aliàs Paulus: Qui multum seminat, copiose mesurus est. Vnde & in lege dicitur, Deut. xxiii. Quando messueris segetem in agro &c. patieris uiduam, pupillum, aduenam auferre, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum, &c. Addit autem Paulus: Supplebit gloriose, et secundum diuitias suas, hoc est, **DEVS** compensat

pensat humanā beneficentiā, non auarè & parua mensura, quēadmodum hoīes pauperes & auari facere solent. Sed cōpensat eā gloriose, magna gloria & abundantia, & cōpensat eam iuxta suas diuitias, quę sunt inestimabiles. Nulla aut maior est necessitas, q̄ in morte, nec unq̄ homines maiori indigent ope Dei, q̄ in mortis necessitate. Quare Deus beneficos tunc pręcipuē cōseruat, & liberaliter eorum beneficentiā compensat, cū mortis periculo comprehenduntur. Sed quam ob causam Deus benefacit benefactori? Num propter merita operum? Nequaquam, sed propter Christum. Vnde & Paulus addit, In Iesu Christo. Contrā autem, qui sunt duri, & nulla cura tanguntur de alienis necessitatibus, hi etiam deferuntur à Domino, cū ipsi indigent ope Domini. Prouerb. xxi. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit,

IN CAP. IIII. EPIST. AD PHILIP.

& non exaudietur. Et Gene. xxxxiij.
 fratres Ioseph maximo discrimine,
 ut putabant, comprehensi dicebant
 inter se : Merito hoc patimur , quia
 peccauimus in fratrem nostrum, ui-
 dentes angustias animæ illius, dum
 deprecaretur nos , & non audiui-
 mus. Idcirco uenit super nos ista tri-
 bulatio. Habes et exemplum in Pha-
 raone. Hic nunq̃ uoluit exaudire
 clamores miserorum Israëlitarum.
 Quare comprehensus in periculis
 maris, non est exauditus à Domino.
 Nam ut breuiter dicam , Talem se-
 gerit Deus erga nos, quales nos ge-
 rimus erga proximos nostros : &
 Deus reposuit uniuscuiusq̃ cœlū, ut
 ita dicam, in domū proximi sui. Nam
 uidet nos natura inuidos, duos, &
 immisericordes esse, et hoc unū age-
 re, ut nō indigeamus aliena ope, ne
 quales nos sumus erga alios, tales ex-
 periamur alios erga nos. Quod cūm
 Deus optimè sciat, uoluit uniuscu-
 iusq̃

iussq; cœlū reponere in domū proximi sui, ut discamus misericordiam, & sentiamus nullum esse tam potentem & diuitem, qui non indigeat aliena ope. Sed sicut miser homo indiget ope fœlicis hominis, ut accipiat ab eo terrenum auxilium, ita fœlix homo in his terris indiget ope miseri hominis, ut accipiat per eum diuinū auxilium. Facite, inquit, uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cū defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Sed qd inquires? Libenter multa exponerē, si modo scirem cui esset dandum, qui ijs non abuteretur. Video enim plerosque donis & eleemosynis plurimum abuti. Respondeo: Non nego quin præsentiā malefacta, etiā egenorum & aliorum legitimè puniēda sint, Sed futura non sunt temerè præsūmenda. Præsens enim necessitas est consideranda. Et de necessitate iudicandum non est duriter & immisericorditer,

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP:

sed ciuilit̃er. Si em̃ propter futura sce-
 lera, quę is, qui in pręsentia miser est,
 designare posset, non elset ei subue-
 niendum, tunc Deus ipse sepe nume-
 ro peccasset, quod tamen impiũ est
 cogitatu. Deus enim benefecit miser-
 rimis Israēlitis in Aegypto. Libera-
 uit eos ex Aegypto, cōseruauit eos
 in deserto. Et tamen sciebat futuram
 eorum impietatem, idolatriam et sce-
 lera. Sciebat etiā futurum, ut cruci-
 figerent filium suum. Sed Deus re-
 spexit pręsentem necessitatē, & be-
 nefecit eis. Sic & Christus sanauit de-
 cem leprosos, homines miseros, &
 tamen nouem futuri erant ingrati,
 nihilominus tamen Christus respex-
 it pręsentem calamitatem, & bene-
 fecit eis. Abutimur & nos beneficijs
 Dei, & tamen Deus pręstitit ea no-
 bis. Vetus dictum est, Patrem fami-
 lias non posse ferre seruum, qui sit
 propheta, hoc est, qui cū iussus fu-
 erit, ut in agro laboret, & sementem
 faciat

faciat, concioneſ de futura tempeſtate, et prophetet frumēta fore per grādinem deuaſtanda, ideoq; nō eſſe ſeminandum. Sic et Deus non pōt nos ſeruos ſuos ferre prophetas, in tali quidē caſu &c. Nam nos, ut miniſtri Dei, debemus noſtrum officiū, qđ praeſentia requirunt, facere, futura autem Deo curanda relinquere.

DEO AVTEM ET PATRI
NOSTRO.)

Concludit epiſtolā doxologia. Et ſi aūt haec & ſimiles locutiones ſunt uulgares, tñ non ſunt oſcitanter pretereūde, ſed quāto uulgariores ſunt, tanto digniores obſeruatu. Communes em̄ & uulgares *ἑωσμαι* ac dicta habent ſemper aliquid latentis energiae, propter quam etiam conſequentur publicam autoritatem. Primum ergo Paulus non fruſtra dicit, DEO & PATRI noſtro, Cur addit, Patri noſtro? uidelicet, ut diſcernat uerū Deū ab oib; alijs ficticijs dijs.

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

Nam Ethnicus gloriatur de Deo, Turca gloriatur de Deo, Iudæus gloriatur de Deo, Hypocritæ glori-
antur de Deo, sceleratus gloriatur de Deo: horum autem omnium Deus non est uerus Deus, sed fictiti-
us. Quia cum aut ignorent, aut contemnant Christum filium Dei, per quem so-
lum credentes adoptantur in filios Dei, non possunt Deum ut patrem suum agnoscere. Et ut simpliciter di-
cam, non possunt orare dominicam orationem, Pater noster. Deus enim non est pater eorum, quia abiiciunt filium Dei, propter quem Deus fit noster pater. Ideoque inuocatio Eth-
nici, Turcæ, Iudæi, hypocritæ, uanissi-
ma est. Solus autem Christianus colit et inuocat uerum Deum, quia agnoscit eum patrem suum esse, propter fi-
lium Iesum Christum. Quondam pri-
usquam releuatus esset filius Dei car-
ne, discernebatur Deus uerus his Epithetis ab alijs dijs. Deus qui pro-
misit

misit Abrahæ semen benedictum.
 Deus qui eduxit Israelitas ex Aegyp-
 to. Deus qui habitat in Sion &c.
 Nunc autem discernendus est epi-
 theto patris Domini nostri Iesu Chri-
 sti, propter quem Deus etiam no-
 ster pater factus est. Omnis ergo
 gloria accepta ferenda est huic ue-
 ro Deo in secula seculorum. Ac
 primum, Potentia & sapientia sunt
 gloria. Debemus ergo Deo pa-
 tri acceptam ferre omnem poten-
 tiam, & sapientiam, uidelicet, quod
 sit rerum omnium creator & admini-
 strator. Hanc gloriam non acceptam fe-
 rebat Deo rex Babylonis Nebucad-
 nezar. Ideoque correptus fuit furore.
 Hanc gloriam non ferunt Deo accep-
 tam impatientes in aduersis, qui di-
 cunt aduersa non accidisse sibi diuina
 uoluntate &c. Deinde clemetia et mi-
 sericordia est gloria. Est et hæc gloria
 Deo tribuenda, ut sentiamus, creda-
 mus & confiteamur, Deum esse cle-

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

mentē et misericordē patrem. Hanc
gloriā non tribuūt ei hypocrite, quia
confidunt suis meritis. Hanc glori
am non tribuunt ei damnati. Quòd
si possibile esset, ut Satan & damna
ti hanc gloriā tribuerēt Deo, tunc
cōsequerent & ipsi salutem, &c. Est
& iusta seueritas, gloriā, quę & ipsa
est tribuenda Deo, ut credamus &
confiteamur Deum esse seuerum
iudicem impietatis & impœniten
tiæ. Hanc gloriā non tribuunt
Deo scelerati homines & impœni
tentes. Non solum autem tribuen
da est Deo gloriā mente, cogitati
one, & uerbis, sed etiam factis. Non
loquor de geniculatione, quæ tan
tum est puerilis disciplina, sed de o
bedientia. Gloriā enim Dei est, si
homines obediant præceptis eius.
Exempli gratia: Qui remittit prox
imo erratum, glorificat Deum, Qui
non remittit, afficit Deum contu
melia. Qui benefacit egeno, glori
ficat

EXPLICAT. IOAN. BRENT. 158

ficat Deum. Et sic de alijs operibus obedientie dicendum est. Melior est enim obedientia, quàm uictimæ.

SALVATE OMNEM SANC.

TVM IN CHRISTO.)

PRimum Paulus adscribit epistolæ mutuas salutationes, ut doceat Christianismum non esse monachismum, hoc est, abdicationem omnium humanorum affectuum. Monachi enim putarunt perfectionem Christianismi in hoc constare, si quis abdat se in angulum quendam eremi, & nullo affectu humano erga alios homines teneatur. Hæc stoicitas displicet Deo, qui uult, ut nos mutuo diligamus, & inuicem omnia bona precemur, id quod per salutationes significatur. Et pñ qui se mutuo salutauerint, habent diuina benedictione efficaces salutatioes. De Christophoro finxerunt, quod qui imaginem eius mane uideat, uesperis rideat. Hæc quidem fabula est, sed allegorice

IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.

Quilibet Christianus dicitur Christophorus. Is ergo si mane precatus fuerit suo uicino bonum diem, sentiendum est, quod sit coelestis precatio, & afferat benedictionem totius diei, si modo ex fide recipiatur. Deinde Paulus uocat omnes Christianos adhuc uiuentes, Sanctos, sed addit, In Christo Iesu. Habent pñ suas infirmitates, Sed quia credunt in Christum, habentur coram Deo ut iusti, ita et sancti, propter Christum, quemadmodum saepe aliàs dictum est. Sed & hoc obseruandum est, quod Paulus dicit, Eos qui sunt ex Cæsaris familia, salutare Philipenses. Ergo & nonnulli aulici Cæsaris Neronis fuerunt Christiani. Vides regnū Christi dilatare sese in omnia genera uitę. Nero fuit crudelissimus & sceleratissimus tyrannus, Præterea aula principū ubiq; pessime audit, Et tamē habuit aula Nerōis suos Christianos. Nam qui uoluerit esse
pius

pius, licebit id etiam in media Baby-
lone, & si periculofum eff, ibi uitam
agere, ubi nihil pīj uel agitur, uel di-
citur, sed omnia impleta sunt pessi-
mis exemplis. Inter hæc constare,
magno spiritu opus est. Postremo
optat Paulus Philippensibus grati-
am Christi. Hoc est summum bo-
num, quo omnia alia continentur.
Danda igitur est opera, ut hoc bo-
num consequamur per fidem, & c.


Habes explicationem epistolæ ad
Philippenses, In qua non tractatur
quidem unum argumentum tan-
tum, sed uaria obseruatu dignissi-
ma conscribuntur. Continet mul-
tas egregias sententias: Mihi uiue-
re Christus est, & mori lucrum.
Datum est uobis non solum crede-
re, sed etiam pati propter CHRI-
ST V M. Christus cūm esset in
forma Dei, non rapinam arbitra-
tus est, esse se æqualem Deo, sed se
met ipsum exinaniuit, formam serui


L43945-C


IN CAP. III. EPIST. AD PHILIP.
accipiens, &c. Arbitror omnia dam-
num esse propter excellentiam cog-
nitiōis Iesu Christi Domini mei, &c.
Nostrum politeuma est in cœlis, un-
de etiam seruatorem expectamus
Dominum nostrum Iesum Chri-
stum, &c. Hæc præ alijs præcipue
obseruanda & alta men-
te reponenda
sunt &c.


F I N I S.

FRANCOFORTI EX
officina Petri Brubachij,
Anno M. D. XLVIII.









capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine

capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine

ic

capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine

capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine

capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine

capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine

capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine
 capitulum in fine in fine in fine

Ita uo
 pat

E
H
E

E
E
E

Aut

E
S
 unctus
 cord. mut
 tēdō
 ant eōm

po
 mal
 aut
 aut
 aut

aut
 aut
 aut
 aut

et colligat et ce
col uo et p^o ex
unus h^o m^o e^o i^o
et a^o m^o i^o q^o ex
o i^o m^o ex a^o i^o e^o
et a^o p^o n^o m^o
ill^o a^o p^o n^o m^o
i^o m^o m^o m^o a^o
p^o i^o d^o e^o

icte et cor qd m

metre qd aut cu

at hūitatu aut

n cor id paner

tuat totū

ut aliter tuncet

et a^o q^o d^o p^o o^o a^o q^o

ut m^o i^o a^o a^o hūit^o

q^o ex a^o p^o e^o b^o p^o d^o a^o

cor i^o m^o a^o

et q^o a^o i^o a^o m^o a^o

i^o m^o hūit^o i^o p^o p^o a^o

[u]

et a^o q^o d^o p^o o^o a^o q^o

ut m^o i^o a^o a^o hūit^o

q^o ex a^o p^o e^o b^o p^o d^o a^o

cor i^o m^o a^o

et q^o a^o i^o a^o m^o a^o

i^o m^o hūit^o i^o p^o p^o a^o

ut aliter tuncet

et a^o q^o d^o p^o o^o a^o q^o

ut m^o i^o a^o a^o hūit^o

q^o ex a^o p^o e^o b^o p^o d^o a^o

cor i^o m^o a^o

et q^o a^o i^o a^o m^o a^o

i^o m^o hūit^o i^o p^o p^o a^o

ut aliter tuncet

et a^o q^o d^o p^o o^o a^o q^o

ut m^o i^o a^o a^o hūit^o

q^o ex a^o p^o e^o b^o p^o d^o a^o

cor i^o m^o a^o

